NOTULÆ ANECDOTÆ
CHRONICA ILLUSTRIS STIRPIS BABENBERGICÆ IN OSTERRICHIA DOMINANTIS QUAM VIR REVEREND.

ALOLDUS DE PEKLARN

CONSCRIPSIT

A

FR. ORTILONE

SUB FINEM SECULI XII EXCERPT. SUOQUE LIBELLO DE EXORDIO CAMPILILY PRÆMISSÆ QUIBUS TANDEM VERUS

LEOPOLDI JLLUSTRIS

PARENS ET GENUINA CÆPTI IN AUSTRIA BABENBERGICI REGIMINIS EPOCHA ALIAQUE PLURA IN HISTORIA PATRIÆ HACTENUS INCOGNITA FELICITER RETEGUNTUR

CHRYSOS
HANTHA
LER



NOTULÆ ANECDOTÆ

E

Chronica Illuſtris Stirpis Babenbergicæ in Oſterrichia

V.Engelshofen dominantis, 1207:

Quam Vir Reverendus

ALOLDUS DE PEKLARN,

Sereniſſimi quondam Auſtriæ Marchionis ADALBERTI ab Anno MXXXIV. usque ad Annum MLVI. Capellanus conſcripſit,

A

FR. ORTILONE

Uno è primis Monachis Campililienſibus ſub finem Seculi XII. excerptæ, aliis deinde, & propriis Notulis adauctæ, ſuóque Libello de Exordio Campililij, aliàs vulgando, præmiſſæ:

Quibus tandem

Verus LEOPOLDI ILLUSTRIS Parens, & genuina cæpti in Auſtria BABENBERGICI Regiminis Epocha, aliáque plura in Hiſtoria Patriæ hactenus incognita feliciter reteguntur.

Edidit ex Autographo & Archivio Domeſtico, atque Obſervationibus prævìis neceſſariis, Notiſque breviculis illuſtravit

P. CHRYSOSTOMUS HANTHALER, Sacri & Exemti Ord. Ciſterc. Profeſſus & Bibliothecarius in Campo-Liliorum Auſtriæ Inferioris.

CREMBSIJ, apud Auſtriæ Tripolim Literis Präxelianis, 1742.

SERENISSIMO

REGIO PRINCIPI

UNGARIÆ & BOHEMIÆ

JOSEPHO BENEDICTO AUGUSTO,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

&c. &c. &c.

PRINCIPI JUVENTUTIS,

REVERTENTE PRIMO AUSPICA-TISSIMI

NATALIS SUI

ANNIVERSARIO

AD CUNAS

AUGUSTAS.

SERENISSIME

REGIE PRINCEPS

ET

ARCHIDUX,

SPES, ET DELICIUM

POPULI!

TAm æqua, quàm immenſa fuit abhinc anno publica devotiſſimæ TIBI Auſtriæ

Tuæ

Tuæ univerſæ, Regno-
rúmque Hilaritas, ac Læ-
titia, cùm ea nocte, quæ
Dominicam *Lætare*, pro-
ximè inſequebatur, feli-
ciſſimè naſcereris. Tum
ſiquidem *Cælo nobis de-
miſſus ab alto*, vivum
Pignus Populis Tuis ad-
veneras etiamnum per-
durantis ſummæ illius &
antiquæ Curæ Divinæ,
Clementiæ item, & Pro-
videntiæ, quibûs Omni-
potens Numen Sereniſſi-
mam Auguſtiſſimámque
DOMUM TUAM AU-

STRIACAM exaltavit ſemper, conſervavit, ſuáque Benedictione, ac Tutela perpetua protexit, ſive placidæ auræ ſpirarent, ſive rigidi Noti Caurique ita crebrò, adeóque horrendum ſæpè in modum infremerent. Aſt verò non minùs ingens hodie gaudium certè omnium fidelium corda inebriat, dum TE integerrima undequaque cum Incolumitate, Cœlo nimirum pro TE excubias agente, primum tenel-

lulæ

lulæ ætatis Tuæ Annum benè beatéque ſuperâſſe conſpicimus. TE, ajo, in quem rectiſſimè ſanè congruit illud Poëtæ de Turno, unico Principe Regio, & Hærede Latinorum:

In TE omnis DOMUS inclinata recumbit.

Cape itaque, PUSIO AUGUSTE PRINCEPS noſter JUVENTUTIS, Strenam hanc Natalitiam, veluti communi Pa-

triæ nomine Auguſtas ad Cunas Tuas humillimè appenſam. Eſt ea non modò pauculis foliis ſuis ſummæ adhuc Teneritudini Tuæ omnino commenſa: verùm etiam ipſius Auſtriæ Tuæ primigenium quodammodo Natalem, ſummis adhuc ingeniis omnibus occultatum, auſpice DEO, clara tandem ponit in luce, dum tot ſeculorum perpetuas hactenus tenebras, ignorantiam inquam Primi veríque Ini-

tij,

tij, quo *Oſterrichia*, ut veteres ajebant, LEOPOLDUM ILLUSTREM habere Dominum, per eúmque Orbi toti inclarescere cæperat, è voto Eruditorum omnium feliciſſimè aliquando diſpellit.

Tu porro, Tantæ Patriæ HÆRES MAXIME, creſce, & accreſce eam in ætatem, qua, novus Auſtriæ Hercules, ſubdendum TIBI Patrium Orbem pari cum Auguſtiſſimis Majoribus Tuis

Pietate, atque Fortitudine ſuſtentare queas, atque tutari. Omnis in Te PROLEM transcurrat Virtus, & Gloria PATRUM. Vive, ac perenna MATERNI THORI AUGUSTI Pignus Auguſtum, Patriæ Corculum, Regnorum Ocellus: quem, ut oculi pupillam, immenſus ille Cœli terræque Arbiter eo usque cuſtodiat, donec in TE feliciter *conveniant, & in una ſede morentur Majeſtas, & Amor.*

Cre-

Creſce, & accreſce, donec Orbis univerſus ex Te diſcat, AUGUSTISSIMÆ DOMUS TUÆ à DEO, qui ſolus Reges ac Regna conſtituit, *nec metas rerum, nec tempora poni.* Dum verò ſtatutis temporibus Populos, & Regna, innatâ MONARCHIS AUSTRIACIS OMNIBUS Clementia gubernabis, *Patriísque Reges Virtutibus orbem:* uti ſubjectiſſimum, ita devotiſſimum TIBI, quantumvis minimum Lilio-

rum Campum, in cujus primitiisHortis plusquam quina jam ante Secula Libellus iſte tanquam Floſculus germinavit, clementiſſimè pariter fove, protege, conſerva.

PRÆ-

PRÆFATIO.

POſteaquam bono hactenus triennio in demandatis mihi Faſtis noſtris Campililienſibus operam perarduam poſui, omne Archivium noſtrum per me ipſum cum cura rimandô, Nomina omnia illuſtria, & ſingulariter digna extrahendô, plusquam nongenta Sigilla pingendô, integrúmque ac juſtum Tomum Diplomatico-Genealogicum conficiendô: tandem Anni præterlapſi menſe Junio ad eos placandos, qui tam ardui operis impatientiâ ante tempus æſtuaverant, prelo commiſi Conſpectum Faſtorum prædictorum, ſi vita & fortuna comites forent, alterum poſt triennium edendorum.

rum. Quoniam verò in eo pollicitus eram, me in fronte ſtatim Operis noſtri publici juris facturum eſſe perelegans & pretioſum Opuſculum Anecdotum: quo vera tandem Origo LEOPOLDI Illuſtris, *& certa primi Adventus ſui in Auſtriam Epocha liquidò docerentur, quas in hanc usque diem nemo cum irrefragibili Auctoritate aſſerere poterat: extemplò complures Illuſtriſſimi Clariſſimique Viri tum ore, tum calamo, qua per ſe, qua per alios, apud me vehementiſſimè inſtiterunt, ut, mutato conſilio, hoc Opuſculum prævie emitterem, néque tanti cimelij impatienti deſiderio Eruditum orbem in annos annósque ſuſpenderem.*

Nolens

Nolens itaque ego unus pertinaciori judicio meo tot Viris, Fautoribus, & Amicis meis Sapientiſſimis tam inhumanè, quàm imprudenter obniti, ecce pareo cum Gratioſa facultate Reverendiſſimi D. Præſulis mei, motámque jam à me Eruditis ſalivam extergo. Suis interim de cauſis feſtinantior hìc eſſe coactus, tam in præviis Obſervationibus, quæ illico inſequuntur, quàm in ſubjunctis quandoque Notis ad ipſum Textum prolixior eſſe non potui. Vacabat itaque minimè, ſingula Libelli noſtri Loca, vel conſona, vel diſſona Scriptoribus aliis, & maximè coævis, longa horum allegatione, minùs exſcriptione, ſecum invicem conferre, atque componere.

Con-

Conſtituo autem, quæ Editioni præſenti in hac parte forſitan deerunt, majori cum induſtria me ſuppleturum, cùm Cimelium hoc in fronte ipſorum Faſtorum noſtrorum denuo fuerit recudendum. Nihiloſecius tamen, ut hæc pariter Editio primigenia fieret ſumma cum fide, & accuratione, operam meam omnem ex debito interpoſui. Faveant illi, quorum deſiderio hic Libellus, & illud, quod Rebus Auſtriacis lumen affundet, cum voluptate ſatisfecerint.

FA-

FACULTAS
REVERENDISSIMI
DOMINI
VICARII GENERALIS.

NOs Fr. CHRYSOSTOMUS Sacri Ord. Ciſterc. Ducalis Monaſterij Vallis B. M. V. de Campo-Liliorum Abbas, per Utrámque Auſtriam, & Stiriam, ac Regnum Hungariæ Viſitator, & Vicarius Generalis, Sacræ Regiæ Majeſtatis Ungaricæ & Bohemicæ Conſiliarius, facultatem damus & concedimus Reverendo ac Religioſo Patri Chryſoſtomo Hanthaler, Profeſſo noſtro, & Vicariatus Auſtriaci Secretario, ut Libellum, per aliquot annorum centurias cymmeriis plusquam tenebris involutum, patrocinante verò ſingulariter Divina Providentia à ſe tandem obtentum, & ab Eruditis in Orbe Literario hactenus ſemper expeti-

tum,

tum, communibus eorundem votis ſatisfacturus, ſub hoc Titulo: *Notulæ Anecdotæ, è Chronica Illuſtris Stirpis Babenbergicæ in Oſterrichia dominantis Viri Reverendi ALOLDI de PEKLARN, aliisque excerptæ à Fr. ORTILONE uno è primis Monachis Campililienſibus* &c. in publicam lucem (ſi tamen iis, quibus ex officio incumbit ſic viſum fuerit) emittere poſſit. In quorum fidem has ei Literas, manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo munitas dedimus. Campililij die 26. Januarij Anno 1742.

(L.S.) CHRYSOSTOMUS
Abbas.

OB-

OBSERVATIO I.

DE

Retectione, Conditione, Auctoribus, & Fide hujus Opuſculi.

§. I.

QUanti in Hiſtoria Auſtriaca momenti ſit Opuſculum noſtrum, verbis nullis aptiùs eloquar præ illis, quibûs Vir Plurimùm Reverendus atque Clariſſimus R. P. HIERONY-

MUS PEZIUS, quo nemo ampliores in Rebus patriis & utiliores poſuit ſudores Orbe applaudente, Diſſertationem ſuam præviam numero V.tam Tomi I.mi Scriptorum Auſtriacorum exorſus eſt, & quæ ego jam in Conſpectu meo ex parte excerpſeram. Ait verò ille hunc in modum. *Infinitarum quæſtionum, obſcuritatum, & difficultatum ſylvam ingredimur, dum de Anno Æræ Chriſtianæ, quo LEOPOLDUS I., veteribus LUPALDUS, LUITPALDUS, LEOPALDUS, LIUPOLDUS, LUIPOLDUS, & LEUPOLDUS dictus, cognomento* Illuſtris, *Auſtriacorum Marchionum, & Ducum Stirpis* Babenbergi-

cæ *Auctor & Parens, Auſtriæ Marchionatum auſpicatus ſit, & à quo Imperatore Romanorum eundem Principatum indeptus fuerit, diſputare instituimus. Rem adeo perplexam facit aut ſilentium veterum, & coævorum, quos in manibus habemus, Scriptorum, aut ingens poſteriorum Auctorum in conſignanda hac Epocha varietas, pugna, & diſcrepantia. Verùm utut Diſquiſitio aſpera futura ſit, eam tamen tantò animoſiùs aggredimur, quantò arctiùs totius Auſtriacæ Hiſtoriæ perceptio cum ſolida propoſitæ Quæſtionis pertractatione conjuncta eſt. Ni enim ſatis de primo ſuſcepti à* LEOPOLDO *Marchionatus*

Anno conſtiterit, incerta & confuſa omnis noſtrarum Rerum Chronologia erit, ea ſaltem parte, qua maximè neceſſaria fuerit. Huc usque Vir Clariſſimus, & quia certiſſimè, cùm in Rebus, ordine ſe conſequentibus, impoſſibile ſit, ſecundum aliquid, vel tertium cum fiducia pronunciare, quamdiu de primo tutò non conſtat: pluribus mihi jam opus non eſt, ut demonſtrem, quàm oppido utilis, immo quàm neceſſarius planè hic noſter Libellus iis omnibus exiſtat, qui ritè callere Hiſtoriam Auſtriacam volunt, ac debent.

§. II.

INventio porro ejusdem atque Retectio, quam alij forſitan crediderint fuiſſe fortunæ, ego peculiari, & ſummè benignæ DEI Providentiæ tribuo: quæ ſuis quæque ſapientiſſimè nectens ordinibus, in ſui diſpoſitione non fallitur, Seculisque ac Temporibus omnibus Dona ſua, & Bona, quæ maximè ſingulis congruunt, ab æterno præordinat. Cùm námque Opuſculum iſtud mox in Exordio Campililij noſtri, cúmque initio Seculi XIII.[tij], immo adhuc vergente Seculo XII.[mo], ab ORTILONE, uno è primis hìc loci Monachis, confici cæperit (ipſe námque in Procemio ſuo

inſit, ſe *dudum à ſe collectas Notulas* hìc præponere) brevì tamen à morte Authoris fatum ſubiit orphanorum, ac veluti Matris uberibus abſtractum, alieno carcere tam arcto, támque diuturno claudebatur, ut apud nos ipſos penitus in oblivionem abierit. Accidiſſe hoc autumo non alio pacto, nisì quòd Libellus iſte ab aliquo noſtrûm, veroſimillimè jam Seculo noſtro primo, cum quopiam nobis vicini Incliti & Antiquiſſimi Monaſterij Cellæ Mariæ in Auſtria Religioſo, perlegendi causâ, ſub roſa, ut ajunt, atque ſecretò, inſciis cæterîs, ad tempus communicatus, interveniente vel commodan-

dantis morte, aut alio caſu quocunque, alienas inter manus adhæſerit. Majores porro noſtri, vel neſcij, quò ſcriptum iſtud domeſticum devenerit, vel pro more ævi illius, his noſtris temporibus ſanè perincommodo, ſancta ſimplicitate, ſuorum duntaxat temporum bona converſatione ornandorum ſoliciti, poſterorum erudiendorum incurij, hoc Scriptum ſuum ita neglexerunt, ut ad nos in omnibus Monumentis noſtris ne tenuiſſimum quidem ejus aliquando conſcripti veſtigium pervenerit, ſolis quibusdam obſcuris, & fluctuantibus Traditionibus exceptis, quæ de Rebus, noſtra inter initia geſtis, incertiſſi-

 tiſſi-

tiſſimo pede vagabantur, mihi tamen frequenter metum fecêre, ne Liber, apud nos ab Origine conſcriptus, quorumcunque incuriâ interierit.

Sed ecce mirabilem DEI Providentiam! Effecit illa, ut ORTILO noſter, tot ſeculis domo ſua extorris, nihilominus inter alienigenas quoque ſalvus & incolumis perſiſteret ad illud usque tempus, quo non modò in commoda noſtra, ſed & in univerſæ pariter Patriæ bonum, Teſtis grandævus, & longè deſideratiſſimus prodiret. Ex quo ſiquidem Reverendiſſimus D. Præſul noſter CHRYSOSTOMUS, Profeſſus defactò, & Sacerdos Jubileus, jámque in annum ſextum

tum & vigeſimum auſpicatiſſimè gubernans, Præſulare faſtigium feliciſſimè conſcendit, præcipuæ ferè ſibi curæ ſumſit, Annales Monaſterij noſtri quocunque labore, & impenſis, ſuo tempore curare. Quamobrem ipſemet Annis compluribus omne Archivium noſtrum, & quidquid apud nos monumentorum reperire potuit, maxima cum ſolicitudine undique inquiſivit, inque ordinem diſpoſuit: abinde verò Abbatiali calamo ſuo tria grandia Volumina Collectaneorum conſcripſit, condendæ poſtea Hiſtoriæ noſtræ percommodum Apparatum factura. Scriptionem porro mihi gratioſè demandavit; qui, cùm im-

paratum ſaltem, ni penitus ineptum me agnoviſſem, diu hanc ſpartam ſubterfugi, donec debita lectione, Reique Hiſtoricæ cognitione utcunque me compararem. Ambo interim nil magis doluimus, quàm, quòd acturi de Clementiſſimo Fundatore LEOPOLDO VII. dicto *Honorifico*, ſive *Glorioſo*; deque Fundatione noſtra, adeò pauca de Sereniſſima Stirpe Babenbergica, cujus Princeps noſter penultimus fuit, fundatè docere poſſemus. Minimè quippe placuit nobis, vulgaria duntaxat, dudúmque trita, ex aliis tranſcribere. Subitò autem, DEO laudes, inſperata lux nobis de cœlo affulſit, tum quidem,

dem, cùm tenebras noſtras maximè, graviſſiméque perſentiſceremus.

Fato ſiquidem pio obierat Reverendiſſimus D. ILDEFONSUS Abbas ſuprà laudati Incliti Aſceterij Benedictini Cellenſis in Auſtria: in cujus Exequiis ſolemnibus, Menſe Januario Anni MDCCXXXIX. celebratis, Concio funebris mihi injuncta erat. Ibi inter cætera humanitatis officia Admodùm Reverendus Religioſiſſimus ac Doctiſſimus P. *Romanus Frantz*, Vir egregius, pluriúmque olim votis ad Præſulatum optatus, plurimis deinde annis ſui Monaſterij Prior, nunc verò jam placido fine ad Patres collectus, mul-

multo à tempore Amicus meus integerrimus, ſciſcitabatur ex me, quid operæ literariæ ſub manu haberem? Inaudiens autem, Faſtis me Campililienſibus occupari, gratulabatur labori, eò, quòd egregia nobis eſſent Monumenta, quibûs & Monaſterij noſtri Originem docere, ac Hiſtoriam præterea Patriam pulchrè illuſtrare poſſemus. Reponente me, voti duntaxat mei id eſſe, Monumenta verò hujusmodi nondum vidiſſe, pergebat, fore utique nobis ORTILONIS noſtri *Libellum de Exordio Campililij.* Fatenti autem, hunc Scriptorem ne de nomine quidem hactenus inter nos cognitum, extemplò accedens

ſecre-

ſecretiora ſcrinia ſua, hoc mihi Cimelium, tanquam omni jure noſtrum, ſumma cum benevolentia amantiſſimè reſtituit. Quo inter hæc gaudio quàm quod maximo delibutus fuerim ego, ac paulò pòſt Reverendiſſimus D. Præſul meus, qui in ſeram usque noctem hoc Opuſculum evolvere non deſtitit, effari haud poſſum. Videſis Libelli hujus modum & ordinem, quinque tandem poſt Secula, tempore maximè opportuno, inſigni profectò DEI beneficio, ad nos plena cum incolumitate tribus abhinc annis reverſi.

§. III.

AUctores quod attinet, Gemini illi ſunt. Primus OR-

TILO,

TILO, cujus manu hoc Opuſculum ex integro ſcriptum, ſtilo verò majori ex parte etiam confectum eſt, ita de ſe ipſo in *Proœmio* ſuo teſtatur. *Ego itaque ORTILO, pauper & minimus Monachus in hac Valle beatæ MARIÆ in LILIENVELD, quæ nuper ad cultum DEI, & Religionis inſtituta eſt, de Domo Sanctæ Crucis cum Domino Patre meo OKERO, Abbate Primo hujus Loci, & Venerabilibus Fratribus meis exivi. Volens obedire Domino Salvatori meo Chriſto, & Legislatori meo Benedicto, quia Scriptor ſum, habui cedulas plures parvulas, de Membranis remanentes. Hæc fragmenta ne pereant,*

puſil-

puſillum Libellum iſtum cœpi conſcribere in Remedium brevis & incertæ hominum Vitæ, & labilis memoriæ, de Exordio hujus novæ Domus beatæ MARIÆ. Monachus itaque fuit Ciſtercienſis, primùm S. Crucis Auſtriæ, deinde hoc è loco prima cum Colonia Regulari noſtrum in Campum noviter fundatum immiſſus. Officio Scriba erat, & ſine dubio inter homines Seculi ſui Scriba minimè indoctus. Sed unde domo, quáve patria fuerit, ánque Sacerdotio Venerabilis, de quo quidem vix dubium ſuperſit, diſſimulat ipſe, nos ignoramus. Ætatem ad usque decrepitam eum provixiſſe docemur clauſulâ Libelli

ſui:

ſui: ubi deſcriptis triſtibûs Exequiis Sereniſſimi Fundatoris noſtri, ipſa die Dedicatæ Eccleſiæ noſtræ xxx. Novembr. Anno MCCXXX. celebratîs, hæc ſubdidit. *Sed dum Eidem à noſtris Tumulus marmoreus, & carmen mortuale præparatur, ego ORTILO, Senex debilis multùm & infirmus, caligantibus etiam oculis, & corde nimiùm moeſto, calamum depono.*

Aureus hic ejusdem Libellus, citra ullam apud me ambiguitatem, primigenius, & Autographus eſt, in forma 12.ma, totus membranâ conſtans, pagellas numerans duas & quadraginta, crebro autem inæquales, margine jam ſupremo, jam infimo, jam

am eo, qui ad latus eſt, trun-
cato, & à quadratura deficien-
te: ut adeò ipſis oculis arbitris
liqueat, ſe eundem, prout an-
tea ſcripſerat, meris è ſchedu-
lis, quas grandibus è membra-
nis præciderat, & ipſe fragmenta
appellat, conſuiſſe. Character
ſatis æqualis, neque elegantiſſi-
mus, neque deterrimus eſt, per-
facilis lectu, ſine multis verbo-
rum compendiis, &, quod in
MSS. Codicibus rariſſimum, cor-
rectus undique, ac ſine lituris,
nullibi præterea raſus. Sola li-
tera r. longiori caudâ ſuâ quan-
doque Lectorem morari poſſit,
& item verborum in fine lineæ
contra leges Ortographiæ in-
concinna dismembratio.

Stilus hiſpidus nón eſt, nimiúmque barbarus: ſed planus, perſpicuus, & energiæ non minimæ. Chronologiam ſervat exactam, neque annos, more, ac mendo permoleſto plurimorum veterum Chronicorum, prævertit, ſive jam narrata iterum uno cumulo repetens, epochas confundit. Narrationem ejus omnem Brevitas commendat, & ubique ſolicitè vitati excurſus, gratìs effluentes. Fabellas in eo quòd reprehendat, vix aliquis habebit. Præ omnibus laudem Candore ſuo meretur: quem teſtatum faciunt hæc verba Proæmij ſui. *Noſtro enim tempore jam plures errâſſe intelligo, & in futuro tempore plu-*

res

res errare timeo, circa hæc (primos nimirum Progenitores Fundatoris noſtri, ſúæque Familiæ Babenbergicæ in Auſtria Adventum) *verè & ſincerè enarranda. Ego verò me errare potuiſſe non puto, quia has Notulas exſcripſi ex Libro &c.* Item hæc alia propè finem ejusdem Proæmij. *Reliqua de ERNUSTO, & qui ei ſucceſſerunt, multò breviùs noto, partim quia jam notiora ſunt, partim quia tam fideli ductore privatus, & alterum non noſcens, cui pariter fidere poſſem, timui, ne errarem multa ſcribendô, & eſſem etiam aliis cauſa errandi: uſquedum veniam ad mea tempora, & LIUPOLDUM Sextum Virtuoſum.* Unde nec

omiſit, ſubinde ex re nata Lectorem de aliorum erroribus commonere. Cenſeo proinde, ORTILONEM noſtrum omnes propemodùm boni Scriptoris dotes habere: ſiquidem Antiquus eſt, ſuóque, de quo ipſe ſcribit, argumento coævus: perſpicuus præterea, brevis, & candidus: ac juſto inſuper Chronologiæ ordine per totum decurrit. Ut adeò non poſſit non à cordato quovis atque Erudito Lectore cum plurima voluptate, commodo autem non exiguo, breviſſimo interim tempore evolvi.

§. IV.

HIs porro omnibus præconiis pari-

pariter, atque à fortiori, celebrandus mihi venit Auctor alter, è quo ORTILO noſter priores Notulas ſuas excerpſit, quémque ita laudat in ſæpedicto Proæmio ſuo. *Ego verò me errare potuiſſe non puto, quia has Notulas exſcripſi ex Libro, qui vocatur* Chronica Illuſtris Stirpis Babenbergicæ in Oſterrichia dominantis: *quam conſcripſit Vir Sapiens & Reverendus ALOLDUS de PEKLARN, Capellanus quondam ADALBERTI Marchionis Tertij Babenbergici Auſtralis. - - Sine dubio hic Scriptor verus & fidelis eſt, qui ultima multis annis ipſe vidit, priora verò à ſuo Principe didicit.* Exactam Viri hujus, Au-

ſtriæ bono ſidere nati, ætatem conficere licet tum his ipſis è verbis, tum aliis ab ORTILONE inſertis ad Ann. MXXXIV. quæ ita habent. *Hoc anno ALOLDUS de PEKLARN, hujus Chronicæ Auctor, è qua has Notulas tranſcripſi, ait, ſe, dum eſſet Annorum triginta, & jam Præsbyter, factum eſſe Capellanum ADALBERTI Marchionis.* Rurſum ad annum MXLIII. ita notat. *Hoc eodem Anno ALOLDUS ſcribit, ſe Chronicam ſuam cœpiſſe, recte centum anni poſtea, quàm* LIUPOLDUS Illuſtris *in Oſterrichiam venit* Tandem poſt geſta An. MLXIII hanc apponit Concluſionem ALOLDI. *Hìc ego ALOLDUS*

Præs-

Præsbyter ceſſare cogor à ſcribendo: ſaxageſimus enim annus eſt, quem vivo, & morbi, qui me premunt, imperant mihi, ut finem meum proſpiciam. Benedicat DEUS Illuſtri Stirpi Babenbergicæ, ut per eam ulteriùs hæc Terra Auſtralis in laude extollatur, Amen. His calculis Chronicis de ALOLDI ætate ſecum invicem ritè collatîs, naſci debuit ille anno MIII. vel proximè anteriori, non quarto, uti perperam poſitum in meo Conſpectu, ſed octavo, aut nono Anno poſt exceſſum LEOPOLDI *Illuſtris*, qui obiit Würceburgi Anno DCCCCXCIV., & cui, tametſi non coævus, ſuppar ſaltem erat, & ſubæqualis.

Quantæ jam eſſe debeat Auctoritatis æquis omnibus Rerum Auſtriacarum Arbitris, evincunt Ætas ſua, Officium, & Inſtitutum. Ætas quidem, quia in omnibus Patriis Scriptoribus tam vetuſtum nullum omnino hactenus vidimus: qui & ipſum quoque ORTILONEM altero propè Seculo ſuperat. Officium deinde Sacellani Aulici ſub ADALBERTO Marchione, & quid obſtet, cur non etiam credere liceat, primis Annis ſub ERNUSTO? Quo ex munere rectiſſimè intulit ORTILO, ſine dubio hunc Scriptorem verum & fidelem eſſe, quippe *qui ultima multis annis ipſe vidit, priora verò à ſuo Principe didi-*

cit, cujus nimirum juſſu veroſimillimè ſcripſit. Inſtitutum tandem: neque enim de ullo, ſive Patrio, ſive extraneo Scriptore conſtat, qui ſuperior ALOLDO noſtro, aut ſynchronus, Principum Babenbergico-Auſtriacorum Hiſtoriam ex profeſſo tractârit: ſed ex incidenti ejusdem ſubinde in parte meminiſſe omnibus ſuffecerat. Aſt verò uti exactior longè, ita & felicior eſſe ſolet eorum induſtria, non minùs verò multò amplior fides, qui particularem Hiſtoriam certæ cujusdam Provinciæ, Stirpis, Locive, ab ovo excutiendam ſibi ſumunt, quàm qui Chronica Univerſalia conſarcinantes, in quantò plura ſe

com̄emoranda diffundunt, tantò magis ingenio ſuo, Apparatu, ac tempore coarctantur. Plerúmque qui plurima dicit, pauciſſima ritè expendit. Præter verò Criteria iſta Eruditus Lector æquè, uti de ORTILONE ſuprà prædicaveram, Narrationem ubique brevem, ſolidam, perſpicuam, cum Chronologia exactè ſubducta, citra contradictionem ullam, uti totus opinor, multo cum guſtu reperiet.

§. V.

GRatulor itaque charæ Patriæ, gratulor Campililio noſtro Scriptorum hoc par nobiliſſimum: quorum in Authoritatem

tem offendere, eámque elevare cum ratione quis audeat, non facilè pervideo, niſi apud quem vel incredulitas inconſulta fidem omnem evertit; vel proprij perverſitas animi unicuique Scriptori, res Patriæ ſuæ tractanti, partium ſtudium affingit. Quod verò qui egerit, abſconditæ à ſeculis Veritati omne ſanè præſidium, invitîs tamen ſapientibus omnibûs, tollet. Minimum plerúmque obtinet ille, qui nemini quidquam concedit. Quantùm interim ad ALOLDUM, omnino ORTILONI noſtro ſubſcribo, ſic iterum in Procœmio querulanti. *DEUS novit, quare factum ſit, ut hæc utilis Chronica, dum vix altera vice tranſcri-*

ſcripta eſſet, per incendium periret. Hoc mihi ſinceri Viri conqueſti ſunt: & dum ego nuper adhuc eſſem in ſancta Cruce, tunc mea Domo Profeſſionis, etiam exemplum ejus exuſtum eſt. Neſcio, ubi nunc invenitur. Doleo de Opere tam bono, & utili: quod utinam totum deſcripſiſſem. Gaudeo tamen de his Notulis meis inde ſubtractis, & DEO gratias ago. Spes proinde, quod ſanè indignum videatur, perexigua ſupereſt ipſius *Chronicæ Aloldinæ*, quam votis omnibus una mecum ampliſſimè utique cupient omnes Eruditi. Inde verò ORTILONI meritum tantò majus eſt, quòd Notulis ſuis qualescunque ſaltem nobis hoc è nau-

è naufragio tabulas conſervaverit: quapropter non vanas DEO gratias dixit. Faxit porro DEUS, ut, quemadmodum poſt Seculorum plurium latebras carcere tandem ſuo ſolutus eſt ORTILO, ita ſimiliter ALOLDUS, & ipſe forſitan adhuc alicubi in tenebris ſquallens, compedibûs ſuis felici quopiam ab indagatore ſolvatur. Mihi neutrius hujus Scriptoris vel nudum duntaxat nomen apud quemquam Eruditorum occurrit: præterquam quòd Perilluſtris D. SPANNAGELIUS, Bibliothecæ Palatinæ Vindobonenſis Cuſtos, & Hiſtoriographus Regius Clariſſimus, Fautor meus perquam Gratioſus, Cl. *Pezio*, mihíque

híque una ſecum commorantibus, non ita pridem Chartulam quamdam exhibuerit, tranſcriptam è Schediasmate quodam privato Illuſtriſſimi quondam Baronis STREUNII, Regia hodie, ut ajebat, in Bibliotheca aſſervato, ubi *Chronica* ALOLDI commemorata legebatur. Quod ſanè uterque noſtrûm maximè mirabamur, & ipſius Autographi Conſpectum plurimùm optâſſemus.

§. IV.

CÆterùm ſupereſt adhuc de ORTILONE noſtro monendum, eundem tres quodammodo in Particulas hunc ſuum Libellum tribuiſſe. Prima, continens

tinens Notulas ex ALOLDO, nchoat ab Anno DCCCCVIII. pergitque ad Annum MLXIII. Altera Notulas habet, quas è variis Scriptoribus, quorum ſuppreſſa ſunt Nomina, ipſe collegerat, donec venerit ad ſua tempora: in qua Hiſtoriam Marchionum & Ducum Babenbergicorum proſequitur usque ad mortem FRIDERICI, dicti *Catholici*, qui Frater erat natu major LEOPOLDI VII. dicti *Glorioſi*, Fundatoris noſtri Clementiſſimi: ceſſat igitur cum Anno MCXCVIII. Tertia tandem propriè recenſet Exordium Campililij, résque, noſtra ſub initia geſtas, & usque ad Annum MCCXXX. progreditur. Quo-

niam verò in *Conſpectu* meo ſanctè curandum adpromiſi, ne in ipſis *Faſtis* noſtris, qui ab Anno MCC. inchoare debebunt, filum Hiſtoriæ Chronologicum ſemel cæptum alicubi turbarem: defactò non niſi duas priores ORTILONIS Particulas evulgo, quæ ambæ ad ſolam Hiſtoriam Patriæ attinent: tertiam, quæ de Rebus noſtris eſt, ipſis *Faſtis* noſtris ut reſervem, bonâ mihi Lectorum Eruditorum veniâ liceat. Quòd ſi namque & hanc pariter modò edidiſſem, vel acephali ſubinde, & ſine capite prodirent Annales noſtri, vel jam dicta prolixiùs denuo repetendô, crambe antiqua recocta, Lectoribus haud immeritò
ſtoma-

ſtomachum com̃overem. Utro-
bique ne peccem, proprio ſin-
gula loco collocare æquiſſimum
arbitror.

OBSERVATIO II.

DE
Vero Parente LEOPOL-DI ILLUSTRIS variorum varia Schemata.

§. I.

QUandoquidem hic Libellus, ex ALOLDI narratione ac Teſtimonio, quod ſanè graviſſimum cuilibet eſſe debere exiſtimo, complurium aliàs celebrium, tam Antiquiorum, quàm Recentiorum Scriptorum ſententias, im̃o veriùs meras ple-

rúmque conjecturas de Vero Parente LEOPOLDI *Illuſtris*, ſuíque in Auſtriam adventus initio, neceſſariò refellit, atque evertit: Celeberrimi GUNDLINGIJ verba meritò hìc mea facio, quæ Præfationi ſuæ ad AVENTINI *Annales Bojorum* noviſſimè editos Lipſiæ in fol. ſumtibus Joannis Friderici Braunij An. 1710. ex vero inſeruit. Poſtquam enim ex JACOBI PERISONIJ Viri Clariſſimi animadverſionibus Hiſtoricis advertiſſet, maximis quibúsque & vetuſtiſſimis quoque Scriptoribus, *juſta ac vera hominum opinione ſingularis fidei, curæ, diligentiæ, ingenij, & judicij nomine celebratiſſimis, uti Livio, Plinio,*

nio, *Valerio Maximo*, & quotquot demum alij eſſent, rebus in antiquis pro humani imbecillitate ingenij errores quoſpiam ſubinde obrepſiſſe, qui poſteriorum Literatorum Virgulam cenſoriam & expetierint meritò, atque ſubierint, ita demum ſubſequitur. *Et nihil tamen ea ratione hujus*, *illorúmve*, *immo omnium Veterum auctoritati derogabitur: nihil pretio eorundem* (addo ego, & merito atque Exiſtimationi) *decedet. Quò res enim ſunt antiquiores*, *& ad primam originem accedunt propius*, *eò ſpiſſiori etiam caligine cenſentur obductæ*, *majorique difficultate circumſeptæ videntur. Habebit poſtrema ætas ſemper*, *quod*

corrigat, limet, poliat, expungat, poſteaquam plura, quæ olim cum blattis tineisque certârunt, Monumenta, ruptis quaſi repagulis in publicum exiverunt, eáque quæ pro ignotis, & abſtruſiſſimis fuêre reputata, nova, itémque clariſſima luce perfunduntur. Læta igitur potiùs & ſerena, minimè verò aſpera fronte exceptos iri confido ambos pervetuſtos Scriptores noſtros, dum ea, in quibus variè hallucinati ſunt recentiores, quantumlibet ſe in Veritatem penetrâſſe, nulli parcentes induſtriæ, exiſtimaverint, nuda & aperta dictione detegunt, atque revincunt.

§. II.

§. II.

ORtum proinde genuinum LEOPOLDI *Illuſtris* quod attinet, quinque hactenus Schemata Genealogica vidi diverſa, hícque ordine promo: illos interim minimè moratus, qui, nullius quidem vetuſtioris Scriptoris ſuffragio adjuti, *Suevum* hunc Principem faciunt, & tamen è Stirpe Babenbergica ADALBERTI Comitis *decollati* eum arceſſunt. Qua in ſententia fuêre *Tabulæ Clauſtro-Neoburgenſes*, ac *Vitus Arnpekius*, *Cuſpinianus* item, atque *Hoffmannus*.

Schema primum, quod LEOPOLDUM noſtrum Ducali Stirpi Bavaricæ inſerit, *Aventinia-*

num apello, eò quòd inter primos ita tradidiſſe AVENTINUM comperiam *Annal. Boicor. Libr. V. cap. II. §. XII. p. m. 476.* Hic attamen, ut in re, ſibi ipſi ambigua, nemini ſcipionem æquo ſolidiorem commodaret, ſic Genealogiam ſuam concluſit. *Ita ego quidem apud quosdam lego. Verùm quod ad Imagines Majorum.* (i.e. Progenitores LEOPOLDI) *ſpectat, diligentiùs inquirendum cenſeo. Quæ ego accipio, tranſcribo: non tamen omnia certò ſcio.* Cautè, prudentérque hoc loco AVENTINUS: quem verò incautiùs ſecuti ſunt *Henninges*, *Reusnerus*, *Lochmayerus Georgius* Luneburgenſis, *Pfeffingerus* in Vi-

triario illuſtrato, *Joannes Palatius* in Aquila, *Spenerus* in opere Heraldico, ac tandem *Hübnerus*: qui autem poſtremus, ut aberrare à vero minùs videretur, ex adverſo Schematis *Aventiniani* aliud quoque non omnino improvidè appoſuit. Tametſi porro his omnibus Viris Eruditiſſimis laudem probatiſſimorum Genealogorum ultrò libentérque indulgeam: quia tamen Ævi noſtri ſunt ſinguli, in re antiquiſſima, licèt integram adhuc myriadem æqualium ſibi adjunxerint, adverſus unum ALOLDUM Scriptorem ſubæqualem, Aulæque Veteris Babenbergicæ Domeſticum, audiri non merentur. Ne dicam,

 jam

jam etiam *Ottonem Friſingenſem*, *Authorémque Fundationis Cœnobij Mellicenſis*, ſuo pariter ævo huic Traditioni manifeſtè refragatos fuiſſe; quos partium ſtudio infectos in hac parte non laborâſſe, ALOLDUS liquidò clamat: qui non ſola Nomina Progenitorum LEOPOLDI in medium affert, ſed & fata eorum, ac facta in teſtimonium addit. Sin autem cuipiam nullus omnino Auſtriæ Scriptor domeſticus hoc loco ſincerus videatur, is, mea quidem opinione, dum nimium probat, ne nihil probet, admodùm habet, quod vereatur. Uti facilius nihil, quàm negare, quod nolis aſſentiri: ita & nihil infirmius,

quàm

I.

Schema Aventinianum.

* * *

LEOPOLDUS Bavariæ Dux occiſus ab Ungaris An. 907. ſive 908.

ARNOLPHUS I. cognomento *Malus*, Bavariæ Ducatum à morte primùm Ludovici Regis obtinuit An. 912. vel 913.

BERTHOLDUS, excluſis à Succeſſione *Arnolphi* Filiis per Ottonem I. Imperatorem, evadit Bavariæ Dux.

EBERHARDUS Ann. 938. ab Ottone I. Bavariæ Ducatu privatus, ſola deinceps Allodialia Bona in Suevia, Nordgavia, atque Babenbergica ditione poſſedit.

ARNOLPHUS II. fit Comes Schirenſis, & Palatinus Bavariæ.

HERMANUS evaſit Comes Palatinus Rheni.

BERTHOLDUS II. Comes Bojariæ, allodialium Bonorum Poſſeſſor.

HENRICUS, aut HEZILO, in ſpem venit recuperandi Ducatus Bavariæ: pro quo rurſum abalienato poſtea Arma corripuit. Ob. 1017.

OTTO Sueviæ Dux.

LIUPOLDUS cognomento *Illuſtris* obtinuit Marchiam Orientalem ab Ottone I. tanquam partem Bavariæ. Linea ejus dici cæpit *Babenbergica*, quia in- & circa Ditionem *Babenbergicam* allodialia bona poſſedit, ad diſcretionem à Linea *Schirenſi*, item *Palatina*.

HENRICUS dictus *Rebellis*.

* * *

quàm ita negandô triumphare. Nomina interim Progenitorum LEOPOLDI, quæ *Aventinus* absque figura textu perpetuo appoſuit, Schemate Genealogico deſcripta, in oppoſita Tabula ſub N.° I. intuêre.

Novum hìc planè, neque facilè aliàs auditum, LEOPOLDI *Illuſtris* Poſteros, Auſtriæque Marchiones ac Duces, etſi Stirpe Boiarios, *Babenbergicos* tamen dictos eſſe ideò ſolùm, quia Bona allodialia in- & circa *Babenbergam* tenuêre, & ad diſcretionem Lineæ ſuæ à *Schirenſi*, ac *Palatina*. Cur non eadem de cauſa *Suevos* eos dicere libuit, aut *Nordgavienſes?* nam & in his quoque provinciis poſſeſſiones

nes habuêre. Invitus hìc certè eſt undique ALOLDUS: quo graviſſimo teſte, uti Sanguis, ita & Nomen *Babenbergicum* ab ALBERTO *decollato* in Filium, ſerósque Nepotes traductum fuit.

§. III.

SChema alterum dicere libet *Fuggerianum*. Etenim JOAN. JACOBUS FUGGERUS, qui *Speculum Honoris Auſtriaci* poſt medium Seculi XVI.[ti] primus condidit, lapſis poſtea centum annis à SIGISM. BIRKENIO ſtilo vernaculo limatiore refictum, *Libr. II. cap. 2. p. 160.* teſte, quo id cognoverit, aut veteri monumento nullo laudato,

to, primus, quod ſciam, aſſeruit, ALBERTO Comiti Babenbergenſi *decollato* geminos Filios fuiſſe, LEOPOLDUM atque ALBERTUM, hósque ambos ob laudem Fortitudinis ab Henrico I. Imperatore Auſtriæ Marchiones creatos. LEOPOLDO verò citiùs, ac improle defuncto, ALBERTO Filium obtigiſſe LEOPOLDUM alterum: qui Auſtriæ Marchionatu poſt Patrem ab Ottone I. Imperatore in feudum accepto, hanc Provinciam ſuam, capto Mellicô, ab Hungaris gloriosè vindicaverit, inde *Illuſtris* cognomen promeritus. Quàm porro hìc inſignem errorem erraverit diligentiſſimus aliàs FUG-
GE-

GERUS, quámque deceptus ſit, locô quopiam *Ottonis Friſingenſis* malè intellectô, ut, quæ iſte de ALBERTO *Victorioſo*, Tertio Auſtriæ Marchione, ejúsque Filio LEOPOLDO, quem *Fortem Militem* dixêre, prædicaverat, ipſe de imaginariis ALBERTI *Decollati* Filiis acciperet, ſatis jam retexit, indoluit, & revicit Cl. *Pezius* Diſſertat. V. *§. IV. ſeqq.*

Nihilo ſecius tamen, ut alios omittam, lutulento hoc tramite pariter oberravit BERNARDUS LINCKIUS, primùm Monachus, deinde Abbas Zwetalenſis, plurimæ induſtriæ Vir, in *Annalibus* ſuis *Zwetalenſibus*, antè medium Seculi prioris conſcri-

ſcriptis, ſúbque annum Seculi hujus tertium & viceſimum vulgatis. Nullam ille quidem *Fuggeri* memoriam ingeſſit, ſed ut Authoritate quodammodo irrefragabili fulciretur, *Chronicon* quoddam, dictum *Leopoldinum* Seculi XII. obtendit *Apparatus ſui ad Annal. Tom. I. §. XXVII. p. 32.* Hoc námque *Chronicon*, cujus fidem mirum in modum extollit, commendatum legerat apud LAZIUM Commentar. Reipubl. Roman. *Libr, XII. Sect. VII. cap. 7. p. 1093.* quaſi conſcriptum id fuerit ab ipſo LEOPOLDO Duce, dicto *Virtuoſo*, circa annum 1174. quódque ipſe bonis avibus repererit. Graviter autem & LAZIUM hoc

loco

loco hallucinatum eſſe, poſt quem deinde etiam Reverendiſſimus Annaliſta Zwetlenſis plurimùm ceſpitavit, denuo dudum deprehendit laudatus Cl. PEZIUS unde ſuprà *§. II.* & item eod. Tom. I. *p. 289. §. II.* Nequaquam enim hoc *Chronicon* breviſſimum Authorem habuit LEOPOLDUM Ducem: ſed CONRADUM de WIZENBERG, Monachum, deinde Abbatem Mellicenſem ab An. 1177. usque ad Annum 1203. *Leopoldinum* verò dictum eſt, quia ad petitionem mox altefati Ducis conſcriptum, eidémque ab Auctore, teſte Proæmio ſuo, nuncupatum fuit. Interim in toto hoc Scripto, quod apud Cl. PE-

ZIUM integrum legere licet à Col. 290. neque ALBERTI *Decollati*, neque geminorum Filiorum ejus, vel minima alicubi mentio ingeritur: ut adeò necdum pervideam, quomodo illud Reverendiſſ. Annaliſta Zwetlenſis in fundamentum Schematis ſui ſubſternere potuerit. Hoc porro in *Annalibus ſuis* p. 41. in Tabulam coordinatum, prima ſui parte ita habet.

II.

Schema Fuggerianum.

* * *

LEOPOLDUS I. Auſtriæ Marchio obiit ſine Liberis: ſucceſſit illi Frater.	ALBERTUS I. aliis EBERHARDUS, ſecundus Auſtriæ Marchio.

LEOPOLDUS II. Marchio Tertius, cognomento *Illuſtris*.

HENRICUS I. dictus *Rebellis*.

* * *

Graviter ſanè, qui ita hactenus docuerant, Hiſtoriæ noſtræ patriæ incommodârunt. Præter enim confuſionem, quam annis, ac geſtis Primorum Principum Babenbergicorum intulerant, inſuper ALBERTUM cum *Eberhardo* Bavarico miſcuêre, & numerum LEOPOLDORUM, quorum revera non niſi *Septem* erant, imaginariô ſuô *Octavô*, quem primo loco perperam ſanè intruſerunt, citrà quod verum eſt, adaugere moliebantur. His verò ſphalmatibus optimè omnium denuo medicatur ALOLDUS.

§. IV.

SChema Tertium meritò dixerim

rim *Pezianum.* Illud námque Vir iſte Clariſſimus non modò probavit, ſed & *omnino certiſſimum* aſſeruit, longioríque & operoſa ratiocinatione conſtabilire allaboravit ſæpè laudatæ ſuæ Diſſertationis præviæ V. *§. IX*^no. *collato §. II*^do. Arripuit illud ex MS.^tâ quadam brevi & ſuccincta Veterum Auſtriæ Marchionum & Ducum Stirpis Babenbergenſis Hiſtoria Anonymi, à ſe reperta in Libello manus admodùm quidem recentis in Bibliotheca Celeberr. & Antiquiſſim. Monaſterii S. Crucis Auſtriæ Inferioris, Ordinis noſtri Ciſtercienſis. Hoc Schema, ſi Genealogicè inſtruendum ſit, ita breviter comparebit.

III.

Schema Pezianum.

* * *

ALBERTUS Comes Babenbergenſis decollatus.

LEOPOLDUS *Illuſtris* Primus Auſtriæ Marchio.

HENRICUS perperam dictus *Rebellis* Marchio Secundus.

ADALBERTUS *Victorioſus* Marchio Tertius.

* * *

Poſtquam nimirum Vir Clariſſimus ſemel apud ſe immobiliter conſtituerat, LEOPOLDUM *Illuſtrem* ADALBERTI *Victorioſi certiſſimum Avum* fuiſſe, eò, quod aliter effato *Ottonis Friſingenſis* Epiſcopi, qui & ipſe è Stirpe Marchionum Babenbergenſium erat, veritatem con-

conſtare non poſſe rebatur, quo dixit: *ALBERTUS*, *qui poſtmodum Marchiam Orientalem*, *Ungaris ereptam*, *Romano Imperio adjecit*, *Originem ſuam traditur ex Sanguine ALBERTI Comitis Babenbergenſis decollati duxiſſe*: cúmque variis è Monumentis, ac Teſtimoniis veterrimis invictè eruiſſet, ALBERTO *Victorioſo* Patrem fuiſſe HENRICUM, dictum *Rebellem*, qui indubiè natus ſit ex LEOPOLDO *Illuſtri*: quatuor hos intra gradus conſiſtens, inque ALBERTO Decollato *Proavum* intuens, de *Abavo* jam ultrà ſolicitus non erat. Mox autem, ut ALOLDUM ſumma ſua cum voluptate apud me con-

ſpexit, audivitque de ALBERTO, Filio ALBERTI *Decollati* teſtantem, adeò eum hujus Schematis ſui tæduit, ut omnem V.tam Diſſertationem ſuam optârit è Tomo ſuo primo expunctam. Nimirum in Hiſtoria veteri veritas, quæ absque idoneis Teſtibus hodie nequaquam accipitur, perſpicaciſſimum quemque tamdiu latet, donec in iſtos quacunque fortuna inciderit. Quos ſi forſitan alius poſtea, ſe felicior, repererit, Vir ſolidè doctus, qui uni veritati intendit, tantùm abeſt, ut iraſcatur, ut potiùs Inventori tam beato ſumma cum animi ſui jucunditate gratuletur.

§. V.

§. V.

POrro hujusmodi inquirendæ & reperiendæ Veritatis infatigabili ſtudio Illuſtris D. JOAN. GEORG. ab ECKART, Celſiſſ. Principis & Epiſcopi Wirceburgenſis Conſiliarius Intimus, Vir longè Clariſſimus, orbíque toti Erudito celeberrimus, certè ſi quis alius, adeò vehementer etiam incenſus erat, ut, cùm nullum præfatorum trium Schematum ſibi ſatisfaceret, quartum ipſe penitus novum, atque à prioribus plurimùm abiens, ſagaci ſaltem conjectura ſua, quia cum certitudine nequiverat, adinvenerit, edideritque tum in Originib. Saxonic.

Præfat. §. XII. ſeqq. tum in Hiſtoria Franciæ Orientalis *Tom. II.* præcipuè *p. 812* & quæ proximè ſuccedunt. In ſui deinde ſequelam etiam traxit Virum æquè per-Eruditum D. & M. JOANN. GUILELM. HOFFMANNUM, qui *Diſſertationem Genealogico - Hiſtoricam, Stemma Babenbergico - Auſtriacum emendatum, atque illuſtratum ſiſtentem*, pro Diſputatione Academica Francofurti ad Viadrum vulgavit Ann. 1731. Optâſſem verò Iluſtri ECKARTO copiam ALOLDI: in quem ſi incidiſſet, pariter, uti Cl. PEZIUS, labore plurimo poterat ſuperſedere. Quamquam ne vel ſic quidem inanem operam uterque

que horum poſuerit: ſed Ingenij ſaltem ſui, atque acuminis in rimandis, ſecúmque conferendis teſtimoniis veterum peregregium ſpecimen orbi ediderint.

Exiſtimabat verò primùm ECKARTUS, nullum ALBERTO Comiti Babenbergenſi *Decollato* Filium ritè aſſignari vel poſſe, vel deberi: quia Bona ejusdem patrimonialia aut in fiſcum redacta ſunt, aut *Tariſſa* Arce ſua in Monaſterium converſâ, huic novæ Fundationi applicata fuêre: cùm interim, ſi Filium habuiſſet, huic per Leges & conſuetudines Germaniæ eripi non potuiſſent. Verumtamen pro modo culpæ ſolet eſſe modus etiam pœnæ. Offendit

ALBERTUS, ut eum nobis Scriptores depingunt, in Familiam ipſius Ludovici III. Regis: devaſtationibus ſuis ſacros æque, ac profanos, quos hoſtes crediderat, inclementiſſimè habuit: Evocationibus Regiis nullibi paruit: obſtinatus in culpa diutiſſimè perſtitit: armis Regis arma ſua oppoſuit: & hoc tandem pacto publica & unanimi omnium Procerum ſententia promeruit, ut ſeveriſſima in ſe animadverſione cæteris cunctis fieret exemplo, quanti criminis eſſet, ſpernere Legem, & Regem. Mirum itaque non ſit, delictum atrocius graviorem quoque in ſe concitâſſe Principis iracundiam, & intentatam eidem inflictám-

ctámque pœnam, conſuetâ juris viâ acerbiorem, in filium pariter vindicâſſe: ne ipſe parem Patri, Patruisque opulentiam conſecutus, pari aliquando cum illis licentia evaderet.

Deinde dubitat Vir Illuſtris, an ADALBERTO huic Decollato Uxor aliqua unquam fuerit: talem ſaltem nullibi legi affirmat. Ut verò nihilominus *Ottoni Friſingenſi* non refragetur, qui *Libr. VI.* Chronici ſui *Cap. 15.* quod jam §. ſuperiori adduxeram, *ex hujus ALBERTI Sanguine* alterum ALBERTUM, cognomine *Victorioſum*, Marchionem Auſtriæ Tertium, *Originem duxiſſe* traditum aſſerit: neque *Authori Hiſtoriæ Fun-*

 datio-

dationis Mellicenſis, apud Cl. *Lambecium* Biblioth. Cæſar. *Libr. II. p. 627.* idipſum conteſtanti fidem deroget: ambos hos graviſſimæ authoritatis Scriptores ita accipit, ut *Sanguinis* nomine non ille ſolùm intelligatur, qui recta linea, & proximo fluxu ex Avo per Filium in Nepotem deſcendit, ſed is quoque, & potiùs, qui collaterali deſcenſu remotiores in cognatos, ab uno tamen communi Stipite influit. Ut adeò ſibi hoc *Ottonis* effatum, ADALBERTUM *Victoriosum* ex Sanguine ALBERTI *Decollati* originem duxiſſe, idem ſit, ac ſi ſcripſiſſet, priorem de cognatione ac Familia poſterioris fuiſſe.

Cùm

Cúm itaque ex his viſum ipſi fuerit, ALBERTUM *Decollatum* neque Uxorem, neque Filium habuiſſe: Propagationem Stirpis Babenbergicæ repoſcit ex ALBERTI Decollati FratreGermano HENRICO: qui genueritBERTHOLDUM Comitem, hic verò ALBERTUM II.dum de MERTALA, ex quo tandem LEOPOLDUS *Illuſtris* proceſſerit. Teſtimonia coacervata, quibûs firmare nititur hanc ſuam conjecturam, quia conſtringi breviter nequeunt, prolixitatis vitandæ causâ hìc exſcribere non vacat, apud ipſum ECKARTUM locis ſupra deſignatis legenda. Potiſſimùm interim eundem hanc in opinionem

nem pellexit inſignis error, quòd *Henricum* Franconiæ Orientalis Ducem, Henrico II. Imperatori Sancto Bavariæ prætenſæ cauſâ Rebellem, & ideò Bavaricæ potiùs Stirpis, affinxerit Stirpi Babenbergenſi: cui *Henrico* Caſtrum *Mertala*, ſed *Ditmaro* Merſeburgenſi *Amardela* dictũ, *Aventino* autem *Caſtell Amerthal*, in præcipuis Poſſeſſionibus fuerit, & ideò primo impetu ſit à militibus Cæſaris deletum. Quod ſubinde reſuſcitatum cùm poſſederit *Adalbertus*, inde *de Marthale* dictus, *Henrici* prædicti ex Filio *Bertholdo* Nepos, eximiæ claritudinis Comes ſub Anno 953. laudatus: is dignus eſt viſus, aptúsque, quem Au-

IV.
Schema Eckartianum.

*   *   *

HENRICUS Dux Francicus Thuringorum & Saxonum obiit Anno Chr. 886.

ADALBERTUS Comes Babenbergenſis decollatus An. 905.	HENRICUS Comes occiſus An. 902.	ADELARDUS Comes pariter decollatus An. 902.

BERTHOLDUS Comes. OTTO Comes.

ADALBERTUS *de Mertala*, vel *Amardela.* Comes obiit Anno 954.

LEOPOLDUS *Illuſtris* Marchio Bavariæ Orientalis. Obiit Anno 994. *Uxor:* RICHEZA.

ADALBERTUS *Victorioſus* Marchio Auſtriæ, à quo cæteri Marchiones ac Duces.

*   *   *

Author Illuſtris LEOPOLDO, Marchioni primo Auſtriaco, Patrem aſſignaret, ut hac demum ratione qualitercunque verum teſtaretur, ADALBERTUM *Victorioſum*, Nepotem LEOPOLDI *Illuſtris*, *ex Sanguine*, ſive *Familia* ſaltem ADALBERTI *Decollati* deſcendiſſe. Schema ſuum ſic ipſe confecit, uti vides in oppoſita Tabella ſub N°. IV., quamquam ego ex eodem non niſi præcipua nomina appoſuêrim.

Quàm non ex tripode hoc loco divinaverit Vir Illuſtris, quàmque in hoc Schemate peregrinus compareat *Adalbertus de Mertala*, mox I^mo. §. ſuo luculentiſſimè pandit ALOLDUS: ubi & Uxo-

Uxorem, & Filium ALBERTI
Decollati certis ſuis nominibus
prodit.

§. VI.

SUpereſt jam tandem, ut poſt tot Schemata, à vero exerrantia, quorum Primum *Aventinianum* ex LEOPOLDO *Illuſtri* fabricat *Bojum*, eatenus ſolùm *Babenbergicum* dicendum, non quia Stirpe talis erat, ſed quia poſſeſſiones quasdam in- & circa *Babenbergam* habebat: alterum *Fuggerianum* eidem LEOPOLDO *Illuſtri* Primatum in Marchionibus Auſtriæ denegat, aliósque duos imaginarios Marchiones præponit: Tertium *Pezianum* hunc LEOPOLDUM
pro

ro eo, quod Nepos erat, Fili-
um facit ALBERTI *Decollati* :
Quartum *Eckartianum* nihil Po-
teritatis ALBERTO huic *De-
ollato* indulget, ſed LEOPOL-
DUM noſtrum ad remotam dun-
axat ejusdem, atque collatera-
em cognationem admittit, in-
ſuper verò eidem planè perpe-
am ADALBERTUM *Victorio-
ſum* ceu Filium aſſignat: ſuper-
eſt, inquam, ut poſt tot Sche-
nata, tam ſecum ipſis, quàm
cum Hiſtoria Patriæ plurimùm
pugnantia, ALOLDI tandem,
Scriptoris pervetuſti, ac ſub-
æqualis, in Aula Principum Do-
meſtici, argumentúmque hoc
præſens ex inſtituto, cum ſim-
plici fide, & inoffenſa Chrono-
logiæ

logiæ exactitudine tractantis, Schema Quintum, cui tandem meritò acquieſcere liceat, in medium proferam: quod à me Iconiſmo Genealogico hìc ex adverſo formatum inſpice ſub N°. V^to.

Porro ad usque LEOPOLDUM *Pulchrum*, ERNUSTI Filium unicum, hanc Genealogiam inſtruere licuit ex ALOLDO. Ulteriorem ex ORTILONE ſupplendam reſervo Propyleo Faſtorum noſtrorum, ubi integram Principum omnium Babenbergicorum Tabulam, Deo volente, conficiam. Hac interim in Particula, quæ tot Epochas hactenus latentes jam feliciſſimè retegit, ſequentia duntaxat obſervo.

Pri-

V.

Schema verum Aloldinum.

* * *

HAINRICUS Franciæ Orientalis Dux, Obiit Anno 886.

ADELARDUS Comes decollatus Anno 902.

ADALBERTUS Illuſtris Comes *de Babenberg*, decollatus An. 908. *Uxor*: BRUNHILDIS Filia *Ottonis* Saxonum Ducis, Soror *Henrici* Aucupis, & *Babæ*.

HENRICUS Comes occiſus An. 902.

ADALBERTUS II. natus Anno 903. fugere debuit cum Matre, ut quinquennalis puer. Adultus Heros evaſit, inque prelio adverſus Hunnos apud Merſeburg fortiſſimè pugnans occubuit Anno 933.

LEOPOLDUS, poſtea cognomento *Illuſtris*, natus eſt ſub Annum 923. Primus Marchio Auſtriæ deſignatus ab Ottone I. Imperatore An. 943. in Auſtriam advênit Anno 944. Ex ea, captô Mellicô, Ungaros expulit Anno 979. Mellicij Canonicos inſtituit Anno 980. Regimen ceſſit Filio HENRICO Anno 991. Obiit Wirceburgi Anno 994. ibique primùm ſepultus, poſtea à Filio, uti petiit, in Auſtriam reductus, & Mellicij conditus eſt Anno 996. *Uxor*: RICHARDA.

HENRICUS, perperam dictus *Rebellis*, natus Anno 961. A Patre Regimen ſuſcepit Anno 991. *Sub eo paſſus S. Colomannus* Anno 1012. Mellicium translatus An. 1014. Ipſe obiit Anno 1018. *Uxor*: SUENHILDIS.

POPPO natus An. 979. factus Archi-Epiſcopus Trevirenſis, Ungaris à Fratre impetravit Corpus S. *Colomanni* An. 1016. ſed eodem Anno reductum. Obiit Anno 1046.

ADALBERTUS III. dictus *Victorioſus*, natus Anno 996. Eccleſiæ Mellicenſi contulit Particulam inſignem Dominicæ Crucis Anno 1045. Obiit An. 1056. *Uxor*: ALHAIDIS Filia *Guilelmi* Comitis Pictavienſis, & *Geiſelæ* Sororis *S. Stephani* primi Hungariæ Regis, nupta Anno 1021. Defuncta Anno 1055.

LEOPOLDUS II. dictus *Fortis Miles*, natus Anno 1022. præmaturè obiit Ingelheimij Anno 1043. *Uxor*: FRUWIZA Obiit Anno 1059.

ERNUSTUS cognomento *Strenuus* Marchio poſt Patrem, natus Anno 1027. ſucceſſit An. 1056. Cecidit in prelio Henrici IV. Imperatoris contra Saxones apud Unſtruth Anno 1075. *Uxor*: MECHTILD.

LEOPOLDUS III. cognomento *Pulcher*, unicus ERNUSTI Filius, Obiit Anno 1096. *Uxor*: ITHA obiit Anno 1101.

* * *

Primùm quidem: ALBERTUM *Decollatum* à *Witichindo* Monacho Corbeienſi, vetuſtiſſimo graviſſimóque apud omnes Scriptore Seculi X.mi, Libr. I. Annal. ſuorum appellari HENRICI, poſtea Regis dicti *Aucupis*, *ex Sorore Nepotem*: quaſi HENRICUS Franciæ Orientalis Dux, Pater ADALBERTI, in conjugio habuiſſet Filiam *Ottonis* Saxonum Ducis, & Sororem *Henrici* Aucupis. Contrà verò ALOLDUS non ADALBERTUM *Decollatum*, ſed Filium ejus ADALBERTUM II.dum, appellat Nepotem *Henricianum*, dum ſcribit, præmiſſa Decollatione Patris. *Tunc ADALBERTUS ejus Filius, quin-*

genalis puer, cum Matre BRUN-HILDE, Filia Ottonis *Saxonis, quia omnia bona Patris ſui tra-cta fuerunt ad fiſcum Regis, fu-gere debuit ad HAINRICUM, poſtea Imperatorem dictum* Au-cupem, *CUJUS EX SORO-RE BABÆ NEPOS ERAT.* Sine dubio hæc contradicunt: cujus enim Pater meus eſt Ne-pos, illius ego Filius Pronepos eſſe debeo.

Sed præterquam, quòd in hoc & ſimilibus punctis, ubi ab ALOLDO alij, non minùs cæ-teroquin annoſi gravésque Scri-ptores, ſubinde differunt, præ-ſumtionem pro ipſo ſtare debe-re exiſtimem, tanquam Aulæ Babenbergenſis Domeſtico, & qu

qui ex inſtituto ejus Hiſtoriam ſcrutandam ſcribendàmque ſuſcepit: Omiſsô etiam, apud veteres vocabula Conſanguinitatis, & Cognationis ſæpiſſimè planè perperam fuiſſe invicem commutata, uti verſatum quemlibet in Chronicis ac Diplomatibus antiquis uſus ipſe dudum docuerit: Inſuper Illuſtris ECKARTUS invictè ſibi demonſtrâſſe viſus eſt, *Ottonem* Saxonum Ducem non ante Annum 874. conjugio ſibi copulâſſe *Hathui*, vel *Hadwigem*, Perengarij I. Imperatoris Sororem, atque adeò Anno 886. quo defunctus fuit HENRICUS Pater ADALBERTI *Decollati*, non potuiſſe habere

ſeniorem aliquam filiam, niſi novennem. Hujusmodi verò adoleſcentula quomodo potuiſſet Uxor jam eſſe HENRICI, Matérque ALBERTI *Decollati*, ac duorum Fratrum ſuorum?

Lapſus eſt itaque hoc loco *Witichindus*, cui quidem etiam Cl. *Pezius* crediderat, dum ALBERTUM *Decollatum* Henrici Aucupis *ex Sorore Nepotem* appellavit: & videbatur ECKARTO confudiſſe Patrem cum Filio, quorum utérque HENRICUS audiebat. Unde & Vir Illuſtris eam in opinionem devenerat, cùm ALBERTUM *Decollatum* ſine Uxore & Filio devixiſſe reputaret, LEOPOLDUM

DUM *Illuſtrem* inPoſteris HENRICI, Fratris ALBERTI *Decollati*, eſſe collocandum. Stabit verò multò rectiùs, quod ALOLDUS nos docet, ipſi ALBERTO *Decollato* Conjugem fuiſſe BRUNHILDIM, Filiam *Ottonis* Saxonis, ac proinde non ipſum, ſed Filium ſuum ALBERTUM II.dum exſtitiſſe *Henrici* Aucupis *Nepotem*.

Mira autem ALOLDI expreſſio, quòd ſcripſerit: *Cujus* (i. e. Henrici Aucupis) *ex Sorore BABÆ Nepos fuit.* Planior currebat ſententia, ſi dixiſſet: *Cujus ex Sorore Nepos fuit.* Sed ſine dubio hac phraſi ſua, quæ aliàs peregrina ac præter ſolitum fuiſſet, quorumdam errorem re-

fellere voluit, qui jam tum BABAM pro Matre ALBERTI jactabant: è quibus id poſtea tranſcripſit *Hoffmannus* in Annalibus Bambergenſibus. Scribens proinde, ALBERTUM II.dum, Decollati Filium, fuiſſe *HENRICI ex Sorore BABÆ Nepotem*, gemina falſa, tunc, ut videtur, circumlata, retexit, aliis tradentibûs, HENRICUM Patrem ALBERTI *Decollati*, Uxorem habuiſſe BABAM, aliis contrâ ipſi ALBERTO hanc Conjugem perperam tribuentibus. Cuinam porro BABA, altera *Ottonis* Saxonis Filia, & *Henrici* Aucupis Soror, deſponſa fuerit, aliis veſtigandum relinquo.

Secundum, quod obſervem, eſt, ALOLDUM *Decollationi* ALBERTI aſſignare Annum 908. cùm *Regino* Prumienſis, *Marianus* Scotus: *Ottó*que Friſingenſis violentam hanc mortem alligent Anno 905. *Lambertus* verò Schaffnaburgenſis, itémque *Hermannus* Contractus Anno 907. Sed ita habet cum Scriptoribus veteribus, ut res quidem afferant plurimas, Chronicis autem Notis ſuis & Epochis in geſtis propè omnibus venturam ætatem aut ipſi, aut ij, qui eos tranſcripſerunt, propter diſcrepantiam ferè perpetuam, moleſtiſſima perplexitate confundant: ut adeo factum vix ullum, memoriâ dignius,

celebriúsque, una, conſtantique, & juſta ſub epocha apud omnes deſcriptum reperias. ALBERTI fata acerba ſupremáque quod attinet, ALOLDO potiùs crediderim: cum quo, teſte Cl. *Pezio*, etiam Lapis hujus Comitis Sepulchralis, etiamnum in celebri Monaſterio Benedictino *Thereſenſi*, in quod Arx ejus *Theraſſa* converſa fuit, exiſtens, quoad Annum mortis conſentit.

OBSERVATIO III.

DE *Primo Adventus Anno* *LEOPOLDI ILLUSTRIS* *in Auſtria.*

§. I.

LEOPOLDUM *Illuſtrem* in Marchia noſtra Orientali, quod nomen olim Auſtria tulerat, ſucceſſiſſe RUGERO de PEKLARN, facilè tenuit propè inter omnes: quo autem Anno, quo ſub Cæſare hi invicem ſtationem ſuam commutaverint, quidquid demum, expiſcatus licèt, quæ poterat, omnia ſummo ſtudio Cl. PEZIUS contenderet, tutò tamen ex-

periri minimè potuit. Cui proinde, cæteris noſtratibus Scriptoribûs RUGERI improlis obitum intra Annos DCCCCII. & DCCCCXXXV. maximè varia ſemper Æra, jugiq́ue cum confuſione deſignantibûs, Epocha interim illa *Anonymi Leobienſis* veroſimillima videbatur, quæ hunc Principem in has oras noſtras ſub An. DCCCCXXXV. ingreſſum tradiderat. Nullus quippe dubitabat, Marchionatum iſtum ab *Henrico* I. Aucupe Imperatore in LEOPOLDUM collatum fuiſſe.

§. II.

RUGERUS porro *Peklarienſis*, ſi AVENTINO credide-

derimus, Annal. Boicor. *Libr. IV. cap. 22. §. 6.* ita narranti, ubi eum *Rogerium* vocat, *Armorum Martisque ſtudioſiſſimus, inclitus fabuloſis Teutonum carminibûs, cujus & Metellus Tigurinus in Lyricis meminerit*, Auſtriæ infra Anaſum ab *Arnulpho* Malo Duce Bojariæ præfectus eſt adverſus Ugros, i. e. Hunnos, Hungaróſque. Cui, ac Filiis ejus, in Cæſares arma corripientibus, cùm æquo fidelior eſſet, proſcriptô *Arnulpho* & ipſe amotus, exul inter Hungaros obiiſſe à LAZIO traditur, fide, ut metuo, non optima, de Migrat. *Libr. VII. p. m. 281.* Sunt verò hodie, qui non RUGERUM modò, ſed etiam *Baben-*

ber-

bergicos deinde Marchiones, Ducibus Bavariæ fide & clientela addictos, atque jure devotos, undecunque conquiſitis teſtimoniis, quæ ſuo ipſi ex ſenſu interpretantur, adſtruere nituntur, idque tamdiu factum eſſe contendunt, donec Marchia Auſtriæ ſub HENRICO *Jaſomirgott* in Ducatus dignatem fuerit à Friderico I. Cæſare ſublimata.

§. III.

AT verò ALOLDUS mox laudatum Terræ noſtræ quondam Principem RUGERUM fama multò æquiore cohoneſtat, ceſpitantium in incerto Chronicorum veterum tenebras diſſipat, quódque nemini hacte-

hactenus innotuit, ejusdem quoque Filium prodit, hoc pacto, enſe ipſo Alexandri feliciùs, inextricabilem hactenus, & plusquam Gordium nodum de Primo LEOPOLDI Illuſtris Adventu hanc in Provinciam expeditiſſimè diſſecans his brevibus paragraphis. *Interea* (ait ad annum DCCCCXIX.) *Oſterrichiam Comes RUTGERUS de PECHLARN, Terræ hujus Strenuus Cuſtos, gubernavit, & obiit Anno Noningintiſimo decimo ſexto. Cui RUTGERUS Filius ſuus ſucceſſit.* Nihil hìc de ejus proſcriptione, exilio, & morte inter Hungaros obita. Item ad ann. DCCCCXXXVII. *Hunni Oſterrichiam irruptionibus,*

bus, & rapinis ſemper vexantes, Anno ſequenti etiam Germaniam iterum irrumpere tentârunt. Sed RUTGERUS junior de PECHLARN Orientalis Comes diligenter vigilavit. Rurſum ad Annum DCCCCXLIII. *RUTGERUS prædictus obiit, & vacavit Marchia noſtra. Tunc OTTO Magnus* (Imperator) *eam LIUPOLDO BABENBERGICO contulit, ut ſuam, & Patris Virtutem, & Fortitudinem, & Merita digno præmio coronaret, & Nobiliſſimam Stirpem in congruum ſublimitatis gradum reſtitueret.* Poſtremò tandem Anno DCCCCXLIV. pergit. *LIUPOLDUS itaque hoc anno in hanc Terram advenienſ*

niens

niens &c. Subjectionis autem, & clientelæ, qua ſive RUGERI gemini, ſive LEOPOLDUS *Illuſtris*, & Succeſſores ſui Ducibus Bavariæ devincti fuiſſent, nullum penitus qualecúnque veſtigium, indiciúmque in toto ALOLDO, ſus déque voluto, uspiam offendes.

§. IV.

ECce interim tibi, quomodo radiante hoc Phosphoro jam ſimus in lumine. Cauſandum poſtea nemini de nimis diuturno, & omnem propè fidem ſuperante LEOPOLDI *Illuſtris* Regimine: quod fuiſſet annorum Sexaginta ſex, ſi illud ab Anno DCCCCXXVIII. usque DCCCC-

DCCCCXCIV. quo obiit, produxiſſet: ſin verò jam ab Anno DCCCCI. aut proximo aliquo, ut quidam tradidêre, Faſces noſtros patrios tractâſſet, propè Centenarium exſtitiſſet. Hodie ſcimus, eundem gubernâſſe ab Anno DCCCCXLIII. usque DCCCCXCI. quo illud Filio HENRICO ultrò dimiſit, annis Octo & Quadraginta. Tutò quoque univerſi *Babenbergici* in Auſtria Regiminis Periodum omnem ab Ingreſſu LEOPOLDI *Illuſtris* usq; ad obitum FRIDERICI *Bellicoſi*, qui præmaturè contigit anno MCCXLVI. annis duobus ſupra Trecentos includimus.

§. V.

QUæ quidem Epochæ, quibûs Hiſtoria Patria hactenus carens, ſemper quodammodo acephala fuit, ſoli jam Diligentiæ ALOLDI, & Induſtriæ ORTILONIS noſtri debentur, præter alias plurimas in annos propè ſingulos Epochas, & Notitias Rerum Auſtriacarum hucusque latentes: de quibus, ſi Superi faveant, in Propyleo, quod meditor, *Faſtorum* noſtrorum Campililienſium uberiùs agam: ubi ſingulorum per ordinem Principum Babenbergicorum, atque Majorum Sereniſſimi Ducis Fundatoris noſtri Elogia Hiſtorico-Critica,

 cum

cum integro eorundem Schemate Genealogico, reliquæ Hiſtoriæ noſtræ præmittere propono. Quod uſquedum per horum temporum iniquitatem, quam DEUS O. M. citiùs emendatam velit, fieri queat (inter arma enim ſilent Leges, & Artes jacent) ipſe interim ORTILONIS Libellus, quem jam ſtatim ſubjicio, ut Eruditorum palatum ſuaviter demulceat, tam ſpero, quàm opto.

ORTILONIS,
UNIUS
E
PRIMIS MONACHIS
CAMPILILIENSIBUS,
NOTULÆ
ANECDOTÆ
PRIORES,
ET
POSTERIORES.

PROEMIUM.

COlligite fragmenta, ne pereant, dicit Dominus noſter in Evangelio. (*) Et ſanctus Pater noſter Benedictus, quem beatus Gregorius Papa vocavit omnium Juſtorum Spiritu plenum, non vult, ut aliquis Monachus aliquid ſuum, & proprium habeat, vel dicat. (**) Mandat autem, ut cunctam ſubſtantiam Monaſterij tanquam ſacrata Altaris vaſa conſpiciat. (***) Ego itaque ORTILO, pauper & minimus Monachus in hac Valle beatæ MARIÆ in LILIENVELD, quæ nuper ad cultum DEI, & Religionis

(*) Joann. VI. 12.
(**) S. Reg. Cap. XXXIII.
(***) Ibid. Cap. XXXI.

gionis inſtituta eſt, de Domo Sanctæ Crucis cum Domino Patre meo OKERO, Abbate Primo hujus Loci, & venerabilibus Fratribus meis exivi. Volens obedire Domino Salvatori meo Chriſto, & Legislatori meo Benedicto, quia Scriptor (*) ſum, habui cedulas (**) plures, de membranis remanentes. Hæc fragmenta ne pereant, puſillum Libellum iſtum cæpi conſcribere in remedium brevis & incertæ hominum vitæ, & labilis memoriæ, de Exordio hujus novæ Domus beatæ MARIÆ.

Et ut ſancta ac maxima Liberalitas devotiſſimi Principis, & Illuſtris Ducis Fundatoris noſtri LIUPOLDI ampliùs honorificetur, propter ſuum ardentem Amorem in DEUM, & in Glorioſam Matrem Virginem, om-

(*) *Scriptor* hìc poſitum pro *Scriba*, cui injunctum, volumina domui neceſſaria in membrana deſcribere.

(**) *Cedulas*, i. e. Schedulas, ſeu extrema membranarum inæqualia, præſcindi ſolita, ſi Libri formæ chartam integram non omnino depoſcerent.

némque Clerum, ac Sacrum Ordinem noſtrum: dudum à me collectas Notulas (*) hìc præpono de Illuſtribus, & Primis Progenitoribus ſuis Babenbergicis, eorúmque Adventu in Auſtria, & glorioſis Meritis in hac Patria. Noſtro enim tempore jam plures errâſſe intelligo, (**) & in futuro tempore plures errare timeo circa hæc verè, & ſincerè enarranda.

Ego verò me errare potuiſſe non puto, quia has Notulas exſcripſi ex Libro, qui vocatur *Chronica Illuſtris Stirpis Babenbergicæ in Oſterrichia dominantis.* Quam conſcripſit Vir ſapiens & Reverendus ALOLDUS de PEKLARN, Capellanus quondam ADALBERTI Marchionis Tertij Babenbergici Auſtralis. Suum ſcribendi laborem cæpit, ſicut ipſe dicit, Centum

Annis

(*) Hinc arguere licet, eum has Notulas jam adhuc Seculo XII. collegiſſe.

(**) Probat hoc paragrapho ſtudium ſuum rerum veterum, incenſúmque affectum ad veritatem illimem.

Annis poſt Adventum LIUPOLDI *Illuſtris* in Oſterriche. Hiſtoriam incipit à Decollatione ADALBERTI nobiliſſimi Comitis de BABENBERG, qui fuit Avus LIUPOLDI *Illuſtris.* Finit autem illam poſt initium Regiminis ERNUSTI, Filij ADALBERTI Marchionis.

Sine dubio hic Scriptor verus & fidelis eſt, qui ultima multis annis ipſe vidit, priora verò à ſuo Principe didicit. Sed DEUS novit, quare factum ſit, ut hæc utilis Chronica, dum vix altera vice tranſcripta eſſet, per incendium periret. Hoc mihi ſinceri Viri conqueſti ſunt: & dum ego nuper adhuc eſſem in ſancta Cruce, tunc mea Domo Profeſſionis, etiam Exemplum ejus exuſtum eſt. Neſcio, ubi nunc invenitur. Doleo de Opere tam bono, & utili, quod utinam totum deſcripſiſſem: gaudeo tamen de his Notulis meis inde ſubtractis, & DEO gratias ago.

Reliqua de ERNUSTO, & qui ei ſucceſſerunt, multò brevius noto, ſecundùm annos tamen, partim quia jam notiora ſunt, partim, quia tam fideli Ductore privatus, & alterum non noſcens, cui pariter fidere poſſem, timui, ne errarem multa ſcribendô, & eſſem etiam aliis cauſa errandi, donec veniam ad mea tempora, & LIUPOLDUM Sextum *Virtuoſum*. Poſt ejus Acta noto Exordium hujus Domus batæ MARIÆ in LILIENVELD, teſtatus, quæ vidi. Nullibi verò fluxa oratione utor, ſed Notulas tantùm facio: quia nimis parvus eſt Libellus, & ingenium meum multò magis eſt parvum. Ohe ſatis eſt, ohe libelle!

NO-

NOTULÆ PRIORES
EX
ALOLDO,
Ab Anno DCCCCVIII. usque MLXIII.

ANno DCCCCVIII. Imperabat Germaniæ Hludowicus Tertius. Sub quo eodem Anno (*) ADALBERTUS Illuſtris Comes de BABENBERG, Filius HAINRICI Franciæ Orientalis Ducis, poſtquam bellum, ac prædas ſuas multis annis continuavit, neque ab Imperatore ſubigi potuit, tandem per *Hatonem* Epiſcopum Moguntinum ſuis fraudulentis (**) verbis indu-

(*) Circa Epocham hanc vide à me jam ſuprà animadverſa *Obſervat. II. §. VI. in fine.*

(**) De *Hattonis* dolo, quem hìc confirmat *Aloldus*, legere licebit adducta à Cl. *Hieron. Pezio T. I. Diſſert. V.* §. *XIII.*

inductus eſt ad Regem: ubi pro nece *Chunradi* Haſſiæ Comitis, & pro guerris (*) ac prædis ſuis nobile caput ſub enſem carnificis dare debuit. Tunc ADALBERTUS ejus Filius, quinquennalis puer, cum Matre BRUNHILDE, Filia *Ottonis* Saxonis, quia omnia bona Patris ſui tracta fuerunt ad fiſcum Regis, fugere debuit ad *Hainricum*, poſtea Imperatorem, dictum Aucupem, cujus ex ſorore *Babæ* (**) Nepos fuit. Hic Patris ſui generoſum Spiritum cum ſanguine hauſit, & eum pariter in filium ſuum LIUPOLDUM transfundebat.

DCCCCXII. Defuncto *Hludowico*, Chunradus Rex efficitur, & ſeptem annis regnat.

DCCCCXIX. Poſt obitum *Chunradi* *Hainricus*, tum in aucupio oblectatus, Electionem ſuam in Regem accipit.

(*) i. e. bellis.

(**) Hanc phraſin, à communi ſtilo exerrantem, cur adhibuerit *Aloldus*, dixi ſuprà *Obſerv. II. §. VI.*

cipit. Interea Oſterrichiam Comes RUTGERUS de PECHLARN, (*) Terræ hujus ſtrenuus Cuſtos, gubernavit, & obiit anno noningintiſimo decimo ſexto. Cui RUTGERUS Filius ſuus ſucceſſit.

DCCCCXXXIII. Glorioſus Rex *Hainricus*, qui Lotharingiam Imperio recuperavit, barbaricos Hunnos, innumerabili multitudine in Germaniam irruentes, apud Merſeburg cruenta ſtrage delevit. In hoc prelio ALBERTUS de BABENBERG fortiſſimo enſe cum multo favore Regis depugnavit. Sed enſe hoſtili cadens, Regi, & Patriæ vitam immolavit. Quantò deinde magis Rex Nepotem ſuum ALBERTUM doluit, tantò magis Pro-nepotem ex eo LIUPOLDUM, quem decennem reliquerat, dilexit: ſed & Otto Filius Regis.

DCCCC-

(*) Hoc de RUTGERO à me dicta repeto ex *Obſerv. III*, §. *II*.

DCCCCXXXVII. Rex *Hainricus* moriens Imperium ceſſit Filio *Ottoni* qui poſtea nomen Magni promeruit. Hunni, Oſterrichiam irruptionibus & rapinis ſemper vexantes, Anno ſequenti etiam in Germaniam iterum irrumpere tentârunt. Sed RUTGERUS junior *de Pecklarn* Orientalis Comes diligenter vigilavit.

DCCCCXLIII. RUTGERUS prædictus obiit: & vacavit Marchia noſtra. Tunc *Otto* Magnus eam LUIPOLDO *Babenbergico* contulit: ut ſuam, & Patris Virtutem, & Fortitudinem, & Merita digno præmio coronaret, & Nobiliſſimam Stirpem in congruum Sublimitatis gradum reſtitueret. (*)

DCCCCXLIV. LIUPOLDUS itaque hoc

(*) Videſis genuina graviáque motiva collati in LEOPOLDUM Marchionatus: neque ultrà attende Narratiunculæ *Conradi de Wizenberg* in brevi Chronico ſuo, dicto *Leopoldino*, apud Cl. Pez. *Tom. I. Col.* 291.

hoc anno in hanc Terram adveniens, Hunnorum irruptionem & hoc, & quarto poſtea anno impedivit, providè omnia Regi, & Vicinis celeriter per nuntios prodens, quæ ipſi moliebantur: ut unusquisque ante fores ſuas ſolicitus excubaret, & hoſtis inhumanus introitum non reperiret.

DCCCCLIII. Sed hoc demum Anno ambitio quorumdam Principum Germaniæ, in Regem conſpirantium, Hunnos per Karinthiam allexit, & intromiſit in Germaniam. Qui ferè per biennium populati ſunt miſeras terras, ad quas pertigerunt.

DCCCCLV. Tandem DEUS juſtus judex retribuit eis menſuram confertam & coagitatam, confortans brachium *Ottonis* Magni Imperatoris, cum cæteris Adjutoribus ſuis, inter quos præcipuus LIUPOLDUS Auſtralis Marchio, ut cum

prædis

prædis redeuntes barbaros apud Vindeliciam immaniter ſuperaret in die Sancti Laurentii, innumeros enſe mactaret, & multa millia captivorum ex eis vivos in terra ſepeliret. Qua contritione ita defecit Hunnorum temeritas, ut nunquam ampliùs in Germaniam auderent redire. Sed tamen Oſterrichiam eis proximam nequaquam in pace eſſe ſinebant: donec eorum Dux, quem Urzum (*) appellabant, homo ferox, & rapax inſtar helluæ, à qua nomen habebat, ſupereſſet.

DCCCCLXI. LIUPOLDUS Marchio hactenus ſine Liberis ſuperviventibus, ex RICHARDA Conjuge ſua obtinet Filium HENRICUM hoc Anno. (**)

DCCCC-

(*) i. e. Urſum.

(**) Retunduntur hoc §. omnes ij, qui LEOPOLDUM *Illuſtrem* Stirpi Bavaricæ immiſcentes, ei, præter HENRICUM, & POPPONEM, alios adhuc filios adul-

DCCCCLXXII. *Urzo* mortuo Ungari elegerunt *Geizzam*, ſuæ quidem gentis, ſed natura mitiorem, quàm barbari patres ſui fuerunt. Hunc gratia DEI prævênit, ut prudens conſideraret mala maxima, quæ ſua gens tot aliis regionibus intulit, & crudeles ſtrages, quas ipſa viciſſim paſſa eſt, & ideò in pace majorem ſpem habuit. Igitur admiſit conſilium, ſibi à DEO in animo inſpiratum, & propoſuit formare Pannoniam ſuam in Rempublicam, & illam ditare, non ampliùs injuſtis prædis, ſed licitis lucris. Et quia terram ſuam novit eſſe bonam & fertilem, ſuaſit genti ſuæ, ut arma deponeret, & merces ſuas potiùs vicinis diſtraheret, quas ſibi provincia ſua copioſè germinaret. Quare omnes vicinos, & maximè Chriſtianos: qualis ipſe fieri per gra-

adultos, *Leopoldum*, *Ernuſtum* Sueviæ Ducem, immo & ADALBERTUM *Victorioſum*, quem ex Filio HENRICO Nepotem habuit, attribuunt.

gratiam DEI jam præcogitavit. Et juvit DEUS, ut inhumanos Hunnos ſuos lucrorum ſpe ad ſuum Conſilium pertraheret. Interim tamen Oſterrichiam, à Majoribus ſuis ex maxima parte occupatam, non dimiſit, ſed conſtanter retinuit. Neque ſuos ibi commorantes prohibere valuit ab excurſibus, & prædis, ad quas in reliquam adhuc terram Auſtralem ſæpè quaſi ex inſidiis excurrerunt.

DCCCCLXXIX. Hoc itaque Anno LIUPOLDUS Marchio in prædones iſtos potentes, quibus ſemper quidem ſe fortiter oppoſuerat, omnem ſuam Virtutem, & potentiam collegit. Medilikum (*) præcipuum barbarorum nidum cum mul-

(*) Hanc Epocham occupati Mellicij, uti & ſequentem erecti ibidem Collegij Canonicorum, fruſtra undique inquiſitam, ſe juxta cum ignariſſimis nôſſe, fateri coactus eſt Cl. *Pezius* Tom. I. p. 164. Unde utrámque ingenti cum gaudio ex *Ortilonis* autographo, apud me primùm inſpecto, condidicit, ſuáque in adverſaria retulit.

multis & fortibus militibus aggreſſus, graviter eum locum impugnavit, ac tandem expugnavit feliciter, Ungarîs expulſis, & longè à provincia repulſis. *Geizza* Ungarorum Dux, pacem ampliùs diligens quàm bella, uti dictum eſt, ſubditos ſuos mercatu diſtrahens continuit, ne in arma concurrentes, novo furore Auſtralem hanc terram incurſarent. Sic Marchia iſta Orientalis deinceps ab inhumanis prædonibus immunis facta, quieſcere cæpit. Quis verò alius, niſi DEUS magnus & omnipotens, Pacis hujus auctor exſtitit? Qui & LUIPOLDO per alterum Filium POPPONEM, hoc anno ſibi natum, novum gaudium fecit.

DCCCCLXXX. DEI enim conſilio & gratia LIUPOLDUS, cui omnes vicini gratulabantur, & *Illuſtris* cognomen tribuebant, Caſtrum

dilik, deſtructis munimentis, mutavit in Collegium, & Templum: ubi larga manu ſua plures Canonicos inſtituit. Hoc conſilio, quod DEUS dedit, & probavit, Religionem, & pacem firmavit: ſibi verò, & Poſteris ſuis Marchiæ hujus dominatum ſtabilivit. *Geizza* verò Ungarus pacis fructum dulciter quoque guſtavit, dum ſequentibus annis illuſtratus lumine fidei, agnovit verum Dominum ac DEUM JESUM Chriſtum. A cujus deinde Filio *Stephano* Ungaria in Regnum florens, & Chriſtianum tranſivit. Laudemus mirabilem DEUM, & verè magnum Dominum noſtrum: qui peccatis hominum per maxima mala longo tempore caſtigatis, miſericordiam tandem ſuperexaltavit judicio, & convertens corda Regum, quæ ſunt in manu ſua, populis fecit Solem oriri de mediis tenebris, & providentia

tia ſua rite moderans tempora, omnia ordinavit in electorum ſalutem.

DCCCCXCI. Poſtquam Illuſtris Marchio LIUPOLDUS, fortis, prudens, & bonus, gubernâſſet quadraginta octo annis, Senectute bona ſe jam prægravante, Marchiam hanc Filio ſuo regendam, ac defendendam manu forti & vegeta commiſit, (*) ipſi conſilium ſuum promittens. Vacabat poſtea operibus pietatis, ſæpè in Eccleſia ſua in Medilik delectatus: donec pro corona DEUS mortem innocentem ſibi deſtinaret.

DCCCCXCIV. Cùm enim in maxima exiſtimatione apud omnes eſſet bonus Senex, etiam *Pertwartus*

G 2 Epi-

(*) Habet hìc Teſtem omni exceptione majorem Cl. P. SIGISM. PUSCHIUS Soc. J. dum hanc eandem Regiminis Ceſſionem, Filio factam à Patre, in ſua *Chronologia Sacra* Stiriæ *Part. I. p. 200.* adſtruxit, invito quodammodo Cl. PEZIO ſæpe laudatæ Diſſert. V. §. XIX. eò quòd ſine auctore illud dixiſſet.

Epiſcopus Wirziburgenſis eum ad Eccleſiam ſuam hoc anno invitavit ad *Hymnum* (*) ſancti Kiliani ſecum devotè celebrandum: quò & Filius HENRICUS ſecum ivit. Ibi cum gaudio & honore ſuſceptus, dum poſt Sacra, tanquam Vir olim bellicoſus, Militum ludum ſpectaret, à quodam eorum vindictam ſenſit, quam penitus non promeruit. *Hainricus* enim Comes quidam unum ex fortiſſimis Militibus Epiſcopi Wirziburgenſis ob ſuperbiæ tumorem capi juſſit, & oculis privari. Quod factum quidam è propinguis infelicis hujus Militis, peſſima ſuſpicione, vel LIUPOLDO, vel Filio HENRICO imputans, Patrem in ſpectatione ludi mortifera ſagittâ ita læſit, ut nihil ei ſupereſſet, quàm ut ſe ad mortem Chriſtiano ritu præpararet. Doluit verò maximè LIU-POL-

(*) Puta Feſtum.

POLDUS, non, quòd mori debe-
ret, ſed quòd in ſua Eccleſia Medi-
lik requiem non caperet. Quare
obteſtatus eſt Filium ſuum, ut nunc
quidem Wirziburgi ſe ſepeliret,
primo verò tempore, quo optimè
fieri poſſet, in Oſterrichiam, &
Medelikum transferret. (*)

DCCCCXCVI. HAINRICUS Marchio Oſſa LIUPOLDI *Illuſtris* Patris lugenti terræ intulit, & in Eccleſia Medilik ſepelivit: ipſe verò omni Provinciæ ſolatio fuit, quia Virtutes Patris diligenter in ſe exhibuit, vigil in hoſtem, providus in patriæ commoda, devotus ad Eccleſias, ſubditis clemens. Cui hoc anno ex conjuge SCHWENHILD Filius ADALBERTUS feliciter natus eſt.

MXII. Pius DEI famulus CHOLOMANUS ex Hybernia peregrinus

 [illegible]dve-

(*) Ecce denuo rem, ipſis Mellicenſib[us] [h]actenus ſemper ignotam, nunc citra dubium [illegible] andiſſimam.

adveniens, ut iret in Hieroſolymam, Domini noſtri Salvatoris ſanguine rigatam, ignotus habitu & lingua, ab imprudenti plebe hujus provinciæ pro exploratore Hungarorum, vel Bohemorum ſuſpectus, apud Stokerowe poſt multa tormenta cum duobus latronibus ſuſpenſus eſt XVI. Kal. Auguſti. Sed latronibus putreſcentibus, & per corvos devoratis, ſanctus DEI famulus, viventi ſimilis, integer pependit, & ſtipes, unde pendebat, fronduit. Abſciſſa, vel confoſſa carne ſua, recentem & calidum ſanguinem emiſit, & mox, quod abſciſſum erat, iterum ſuccrevit: carne verò ablata infirmus ſanabur. Ita prodita per DEUM Viri ſanctitate, ſapere & pœnitere cœperunt fatui homines, corpus depoſuerunt, & juxta Danubium ſepelierunt cum laudibus in erecto Sacello.

MXIV. Hic Martyr DEI, certè innocen-

center pro ejus amore paſſus, multis prodigiis ampliùs manifeſtatus eſt Unde fama terram replente, deſtinatus eſt ab HAINRICO Marchione dignori ſepulchro, & magna cum celebritate, ipſo comitante, translatus eſt in Eccleſiam Medilik iij. Id. Octobr.

MXVI. E Paleſtina rediens POPPO Trevirenſis Præſul à Rege *Stephano* Sancto tamdiu precibus fatigatus fuit, donec polliceretur, ſe ſupplicaturum Fratri ſuo HAINRICO Marchioni, ut ſanctum CHOLOMANI Corpus Regi cederet. Adfuêre cum POPPONE Legati Ungari cum donis apud Marchionem ſupplices: qui cùm plurimùm invitus videretur, auſi ſunt etiam minas addere. Qua importunitate motus HAINRICUS, dolens tandem aſſenſit: ſed DEUM cum fiducia oravit. Decorè ergo & reverenter ſacrum Corpus Ungariæ

inſertur, & cum exultatione ſuſcipitur: cujus ſuffragiis Regnum illud omnem fortunam ſperabat. Contrà verò accidit. Exortæ ſunt calamitates graves, nec antea ceſsârunt, quàm *Stephanus* Rex pius, & ſui Præſules agnoſcerent, nolle DEUM, ut in Pannonia colatur Sanctus, qui apud Auſtrales coronam meruit: maximè, cùm metu potiùs, quam dono, illuc ſit transmiſſus.

MXVII. Nondum itaque emenſo unius integri Anni ſpatio remiſſum eſt ad Auſtrales ſanctum Corpus cum multis muneribus, & Medilikum hunc ſanctum Patronum ſuum cum maximo gaudio iterum recepit. (*)

MXVIII. Marchio HAINRICUS bonus, & juſtus, ſubitò obiit III. Non.

(*) Univerſa hæc de Divo COLOMANNO Narratio ALOLDI plurimam ejus Hiſtoriæ lucem, quantùm certè ad Æras, quæ integram Hiſtoriam faciunt, perſpicuè accendit.

Non. Decembris, & Filio, quem unum habuit, ADALBERTO Marchiam dimiſit, ultrà ab hoſtibus ſervandam.

Interjectio ORTILONIS.

Doleo, his noſtris diebus, ut audio, & ex parte ipſe legi, devotum hunc Marchionem HAINRICUM, omni laude dignum Terræ hujus Principem, neſcio à quonam, cognomine Rebellem, *ſcriptum, & divulgatum fuiſſe, qui ſemper* Hainrico Secundo *Imperatori ſancto charus, & fidelis in omnibus ab ALOLDO prædicatur. Quisquis hic Scriptor fuit, deceptus eſt in nomine* Hainrici. *Fuit enim illo ipſo tempore in Orientali Franconia alter* Hainricus *Comes, ſive Marchio, qui cum* Boleslao *Bohemo arma ſumſit in* Hainricum *pium Imperatorem, quia ſibi Bawariam negavit. Hic verè* Rebellis *fuit, & Rebellium mercedem accepit, captus, & ſua provincia priva-*

 tus.

tus. Nunc iterum pergo ex ALOLDO. (*)

Proſecutio ex ALOLDO.

MXIX. Hic primus Annus fuit ADALBERTI Marchionis, qui diu & feliciter rexit Oſterrichiam. Et quamdiu Rex *Stephanus* Ungariam atque *Hainricus* Secundus Imperium gubernabat, uterque Sanctus, Pax aurea floruit, & Auſtralis quoq; terra hæc ſatis quieta permanſit.

MXXI. ADALBERTUS Marchio nuptias fecit cum ALHAIDE, quæ fuit Filia *Guilelmi* Comitis Pictavienſis, & *Geiſelæ* Sororis *Stephani* primi Regis Hungariæ, & ſancti. Hu-

(*) Egregiè hic ORTILO noſter, qui ſtudio veritatis perſpicacem ſemper oculum in errata Scriptorum habebat, conſtabilit operoſam Cl. *Pezii* induſtriam, qua HENRICUM optimum Marchionem à convitio *Rebellis* tandem expedire feliciter allaboravit in toties repetita *Diſſert. V. §. XXIII. ſeq.* Erat *Henricus Rebellis*, aliàs *Hezilo*, Stirpis Bavaricæ, nepos *Eberhardi*: qui nunquam ad Marchiones Auſtriæ Babenbergicos attinuit.

Hujus ALHAIDIS Frater erat Petrus, qui poſt Stephanum in Regno Hungariæ ſucceſſit.

MXXII. ADALBERTO primus Filius naſcitur LIUPOLDUS, generoſi Spiritus, & præmaturæ Virtutis: ſed quæ non multùm adolevit.

MXXIV. Sanctè obiit *Hainricus* Imperator: cui ſucceſſit *Chunradus* Secundus.

MXXVII. Poſt alias duas Proles, quæ ut infantes moriebantur, ADALBERTO gignitur alter Filius ERNUSTUS Patri ſucceſſurus.

MXXX. Bawariæ causâ hæreditandæ *Chunradus* Romanorum, & *Stephanus* Ungariæ Rex diſſidentes, arma in alterutrum parabant, & ADALBERTUS Marchio ad bellum jam expeditus erat. Laborabat verò etiam pro pace, quæ ſubitò intervênit.

Interjectio ORTILONIS.

MXXXIV. *Hoc anno* ALOLDUS de Pek-

Peklarn *bujus Chronicæ Author*, è *qua bas Notulas tranſcripſi*, *ait*, *ſe*, *dum eſſet Annorum triginta*, *& jam Præsbyter*, *factum eſſe Capellanum ADALBERTI Marchionis.*

Proſecutio ex ALOLDO.

MXXXVIII. Sanctus *Stephanus* Ungariæ Rex in cœlum receptus eſt: quò Filium ſuum *Emericum*, ſanctum pariter Juvenem, jam ante ſe præmiſit. Cum hoc verò Rege Ungariæ pax, & felicitas ſimul ſepultæ ſunt.

MXXXIX. *Petrus* in Ungaria *Stephano* ſuccedit, ejus ex ſorore *Giſela* nepos. Sed vitiis plurimis ſcatens, ſubditis brevì inviſus evaſit.

MXL. Idem, dum Ungari ab eo ad *Ovonem*, ſuâ linguâ *Abam*, deficiunt, Regno privatur. Fugit verò ad ADALBERTUM, cujus Levir erat, ſive Frater Uxoris.

MXLI. ADALBERTUS Marchio pro

Petro

Petro apud *Hainricum* Tertium Romanorum Regem, ei pariter affinem, intercedens, ei auxilium impetrat.

MXLII. Hainricus Rex cum exercitu per Oſterrichiam intrat in Hungariam, & comitem belli ſecum accipit ADALBERTUM. Cum Patre vadit & Filius LIUPOLDUS. Vaſtatur Regnum, & *Ovo* maximam cladem accipit: ubi ADALBERTI, & LIUPOLDI fortitudo maximè enituit. Pannonij coguntur vel *Petrum* recipere, vel alium è ſuis Ducem ſequi, quem Rex *Hainricus* deputavit, depoſito *Ovone*. Sed quia Ungari neque *Petrum*, neque novum Ducem volebant: *Ovo* tandem ſe valde humilians, impetravit ab *Hainrico*, ut ſibi regnum permitteret. Addiderat ille precibus etiam Dona: è quibus ADALBERTUS magnam ſalvificæ Crucis Particulam accepit, quæ olim ſancto *Stepha-*

Stephano Regi donata fuit. *Petrus* cum Imperatore, & Marchione reverſus, manſit in terra Auſtrali.

MXLIII. *Ovo* fiduciam habens de gratia, ſibi apud Regem *Hainricum* firmata, erga ſubditos ſuos inſoleſcit, & Religionem quoque Chriſtianam tollere nititur. *Petri* quoque rivalis necem quærens, inopinatè Oſterrichiam hoſtiliter invadit. Sed ADALBERTUS Marchio, & LIUPOLDUS Filius, conſtanti animo ejus furorem excipiunt, & magna victoriâ deprimunt. Inde ADALBERTUS dictus eſt *Victorioſus*, & LIUPOLDUS *Fortis Miles*. Hic tamen eodem Anno, dum nuptiis *Hainrici* Imperatoris apud Ingelheim intereſſe vellet, immatura morte extinctus eſt cum ſummo mærore Patris, & Patriæ, V. Id. Decembris, atque à POPPONE Archiepiſcopo Trevirenſi cognato Treviris ſepultus eſt. Hic idem

Præſul, ad preces LIUPOLDI defuncti, Patri ejus ADALBERTO Marchioni ſtrenuiſſimum Militem de cognatione ſua, *Azzonem* nomine, in Oſterrichiam ſubmiſit: ubi propter multa merita magnus, ac potens, & dives effectus eſt.

MXLIV. *Ovonis* perfidiam execratus Imperator *Hainricus*, iterum cum exercitu ultor venit, Duce præcipuo ADALBERTO Marchione. In Ungariam penetrans, apud Rabam fluvium apud Jaurenk. (*) penitus debellavit *Ovonem*: quem ſui plurimi in prelio deſeruerunt, fugâ elapſum proprij ſubditi occiderunr. Tunc *Petrus* iterum Rex in ſolium imponitur, & *Hainrico* fidem juravit, & quòd Regnum, ejus beneficio acceptum, ad Imperatoris poteſtatem redire deberet. Inter hæc ADALBERTUS omnem Oſterrichiam ſuam ab Ungaris purgavit, & ſibi

(*) Jaurinum, vernaculè *Rab.*

ſibi aſſeruit, cum magna laude Imperatoris, & omnium vicinorum.

Interjectio ORTILONIS.

Hoc eodem Anno ALOLDUS *ſcribit, ſe Chronicam ſuam cœpiſſe, rectè* Centum annis *poſtea, quàm* LIUPOLDUS Illuſtris *in Oſterrichiam venit.*

Proſecutio ex ALOLDO.

MXLV. *Petrus* apud Ungaros in priora vitia relabitur, & nova apud ſubditos odia contrahit. ADALBERTUS Marchio non Fortitudine tantùm, ſed etiam Pietate, Prudentia, & Æquitate inſignis, ſanctæ Crucis Particulam in Eccleſia Medilik religiosè, & ſolemniter deponit. (*)

MXLVI. Contra *Petrum* inſurgunt *Andreas*, & *Levenza* Propingui ſui, ſibi

(*) Nobilis denuo gemma pro Hiſtoria Mellicij retectus certus annus repoſitæ ibidem Particulæ S. Crucis.

ſibi fideles, etiam Præſules, & Clericos occidunt, & ipſum quoque ad pœnam quærunt. Fugientem in Oſterrichiam deprehendunt, & oculis privant. *Andreas* & *Levenza* ad idololatriam proni, Regnum à ſui ſimilibus ſibi oblatum capiunt.

MXLVII. *Petro* in carcere mortuo, & *Levenza* etiam defuncto, coronatur *Andreas*, & corde ſuo per DEI gratiam converſo, ſaluberrima pro Chriſti Religione edicta condidit. Sed Imperator *Hainricus*, *Petri* injuriam vindicaturus, & etiam ſuam, quia Regnum ad ſe redire debuit, bellum parat, neque *Andream* audit, qui culpam in alios conferebat. POPPO clariſſimus Trevirenſium Præſul obiit.

MXLVIII. *Hainricus* Imperator Brecesburgum (*) obſidet, comite ADALBERTO Marchione. Sed pa-

(*) Preſpurg vernaculè, látinè Poſonium.

ſcuis & frugibus deficientibus pro ſuo exercitu, reverti cogitur.

MXLIX. Imperator ADALBERTUM Marchionem denuo arma in Ungariam expedire mandat, & ipſe milites ſubmiſit: quibus tamen Andreas aditum cautè præcluſit, ac interim per Legatos iram *Hainrici* mitigavit, fidem cum tributo promittens.

MLI. *Andreas* in tributo deficiens, Imperatorem denuo irritat, & inſuper ADALBERTUM Marchionem in ſua terra Auſtrali turbat, qui ei ſtrenuè reſiſtit.

MLII. Ipſe Imperator exercitum per Oſterrichiam ducens, cum ADALBERTO Marchione, & ERNUSTO Filio ejus, invadit Ungariam, ac Brecesburgum obſidet. Sed quia *Andreas* in Regno ſuo Religionem Chriſtianam benè procuravit, *Leo* Papa IX. in exercitu præſens, & ab *Andrea* rogatus, ſe interpoſuit, &

pacem

pacem conciliavit. Unde Imperator *Andream* Regem confirmavit, & ejus filio *Salomoni* vix nato filiolam ſuam *Zophiam* (*) ſpopondit.

MLV. ALHAID ADALBERTI Marchionis conjunx devotè moritur, & in Medilik ſepelitur III. Non. Februarij.

MLVI. ADALBERTUS Marchio Illuſtris Princeps meus (*ſic ſcribit ALOLDUS*) Pius, Fortis, Victorioſus, Benignus, poſt annos ætatis ſuæ ſexaginta, Regiminis Anno triceſimo ſeptimo, piè moritur VII. Kal. Junij, & in Medilik apud Patres requieſcit. Succedit ERNUSTUS Filius pariter Fortis, & Probus: qui jam tunc ex Uxore MECHTILDE Filium habuit ſpecioſum LIUPOLDUM. Obiit etiam hoc Anno *Hainricus* Tertius Imperator, & reliquit *Hainricum* Quartum tenerrimum puerum, tamen mox coronatum.

(*) Sophiam.

MLVIII. *Andreas* Rex Ungariæ coronari fecit filium *Salomonem*, qui vix erat annorum ſeptem. Sed huic Regnum eripere mox meditatus eſt *Bela*, Andreæ Regis frater.

MLIX. FRUWITZA, quæ Uxor fuit LIUPOLDI, qui fuit ADALBERTI Marchionis Filius, & poſt eum remanſit, hoc anno obiit apud Medilik ſepulta XIV. Kal. Januarij.

MLX. *Bela* Regis *Andreæ* frater Regnum contra legitimum hæredem Salomonem occupavit. Hic verò à Patre, ſub favore *Hainrici* Quarti Regis Pueri Romanorum, ad Caſtrum Medilik in terram Auſtralem transtransmiſſus eſt, cum corona, & Theſauro Regio, tutus apud ERNUSTUM Marchionem.

MLXI. *Andreas* Rex cum *Bela* Fratre æmulo non ſatis providè pugnans, & equo decidens, ungulis conteritur.

MLXII. Bela Regnum Ungariæ uſurpans,

pans, ob æmulum Salomonem irruit in Oſterrichiam, ubi is manſit, cum magno exercitu. Sed ERNUSTUS, virtute Patris non minor, generosè reſtitit, & hoſtem fugavit, *Azzone* fortiſſimo Capitaneo ſuo utiliter uſus. Bela autem nova Arma parans in Auſtrales, dum ad finem anni placitum teneret apud oppidum Temes, ruente domo graviter contritus obiit. ERNUSTUS Marchio cognomen *Strenui* à Victoria reportavit.

MLXIII. *Hainricus* Quartus Romanorum Rex paulò plus quàm duodennis puer in Oſterrichiam veniens, *Salomoni* Ungaro Sponſam ſuam *Zophiam*, tanquam Frater ejus, adduxit, & nuptias fecit. Deinde cum exercitu in Pannoniam progreſſus, Filios defuncti Belæ obſequentes habuit, & ſine ſanguine *Salomonem* in ſolium reſtituit. Comites fuerunt ERNUSTUS

Marchio, in prelium denuo paratus, & Filius LUIPOLDUS puer.

Concluſio ALOLDI.

Hic ego ALOLDUS Præsbyter ceſſare cogor à ſcribendo. Sexageſimus enim Annus eſt, quem vivo, & morbi, qui me premunt, imrant mihi, ut finem meum proſpiciam. Benedicat DEUS Illuſtri STIRPI BABENBERGICÆ, ut per eam ulteriùs hæc Terra Auſtralis in laude extollatur, Amen.

FR.

FR. ORTILONIS NOTULÆ POSTERIORES,

E Variis primùm, tandem & Suæ,

Ab Anno MLXXV. usque MCXCVIII.

MLXXV. ERNUSTUS Marchio contra Saxones apud Unſtrutham pro Imperatore Hainrico IV. ſtrenuè pugnavit, & cecidit in prelio. Unicus (*) ejus Filius, quem poſt ſe reliquit, LIUPOLDUS,

(*) Grave iterum pondus pro Cl. *Pezij* Diſſertatione VI. qua ex hoc potiſſimùm fundamento, quòd ERNUSTUS non niſi unicum Filium habuerit, ſolidiſſimè profligavit ſpurcam fabellam de mutuo flagitio inceſto hujus, & imaginarij Fratris ſui ***Alberti Levis.***

appellatus *Pulcher*, hanc terram pro eo gubernavit.

MLXXXII. LIUPOLDUS Tertius Marchio contra *Hainricum* quartum Imperatorem fœderatus pro Eccleſia DEI, crudelem cladem accipit apud Mauerberch à Bohemis, & eorum ſociis, quos *Hainricus* immiſit.

MLXXXIII. Idem Marchio, adjuvante DEO, & ope *Azzonis* fortiſſimi Capitanei ſui, de iisdem hoſtibus ſimilem vindictam ſumit.

MLXXXIX. Idem Marchio ad cultum DEI magis promovendum, in Medilik pro Canonicis Monachos ſancti Benedicti inſtituit.

MXCVI. Idem Marchio piè obiit: cujus maxima gloria fuit LIUPOLDUS Quartus Filius, cui Marchiam reliquit. Hic pluribus Virtutibus ſuis nomen *Pij* promeruit, & plurima bona fecit.

MCI. ITHA LIUPOLDI tertij Marchio-

chionis Vidua devota, peregrinata eſt in Terram Sanctam cum *Thiemone* Archiepiſcopo Saltzeburgenſi, & magna fidelium multitudine: quia ante duos Annos *Godfridus Bullion* Jeroſolymam recuperavit. Sed pia Fœmina triſtem vitæ exitum à barbaris paſſa, non ampliùs redivit.

MCXIV. Pius Marchio LIUPOLDUS Quartus primum Lapidem poſuit apud Eccleſiam ſuam in Nüwenburch.

MCXXII. Idem Marchio ibidem Canonicos ſine Regula ordinavit, licèt Eccleſia nondum perfecta eſſet. Præpoſitum eorum fecit OTTONEM Filium ſuum adoleſcentem, pro quo præfuit Vicarius: ipſe ad Parrhiſienſem Scholam dimiſſus eſt.

MCXXVI. Hoc Anno dictus OTTO Adoleſcens, aliquando è Scholis rediens cum quindecim Nobilibus, & egregiis Clericis, hoſpitium unius noctis, vocante DEO, petiit,

& obtinuit in Morimundo, quod fuit unum de quatuor primis Ciſtertij Filiabus. (*) Ibi omnes compuncti devotione Loci, Novitij facti ſunt.

MCXXVII. Iidem Socij omnes per Profeſſionem fiunt Monachi. OTTO iterum Pariſios mittitur ad Scholas altiores ex Ordine.

MCXXXI. OTTO ſtudiis altioribus excellenter doctus, fit Abbas in ſuo Monaſterio Morimundi.

MCXXXIV. LIUPOLDUS *Pius* Marchio, antea rogatus à ſuo Filio OTTONE in Morimundo, ut Ordinem Ciſtercienſem in Patria ſua inducere vellet, elegit Locum Sattelbach. Ad quem OTTO hoc anno ex Morimundo miſit *Gotſchalchum* Abbatem, & *Wilhalmum* Priorem, cum undecim Monachis: quos Marchio

(*) i. e. Primis Monaſteriis ex Archi-Cœnobio Ciſtercienſi propagatis.

chio aluit, & ſtatim Monaſterium conſtruere cæpit.

MXXXVI. Pius Marchio LIUPOLDUS Eccleſiam ſuam in Nüwenburch (*) abſolutam conſecrari fecit, & ibi Canonicos Regulares inſtituit. Loco Sattelbach, qui erat in opere, Fundationem largam aſſignavit. Cellam quoque ſanctæ MARIÆ pro Benedictinis exſtruxit. Poſt hæc verò præclara opera, & Merita, fine ſancto quievit hoc eodem Anno XVII. Kal. Decembris, & in Nüwenburch ſepultus eſt. DEUS fidelem Servum ſuum ſtatim fecit prodigiis clarum. Succeſſit ei Filius LIUPOLDUS Quintus, licèt Fratrum ſuorum ſenior non eſſet.

MCXXXVII. ADALBERTUS Senior Filius LIUPOLDI *Pij* obiit. OTTO Morimundenſis fit Epiſcopus Friſingenſis. CHUNRADUS juni-

or

(*) *Neuburg*, hodie *Clauſtro-Neoburgum.*

or Frater in Sattelbach induit habitum Monaſticum : cui Loco LIUPOLDUS Marchio regnans bona prædia, Trumowe, & Dallhern donavit.

MCXXXVIII. *Hainricus* Superbus, Saxoniæ, & Bawariæ Dux, à *Chunrado* Tertio Romanorum Rege ſuis terris privatur, & LIUPOLDUS Marchio Auſtriæ fit Dux Bawariæ. Hic *Chunradus* Rex, & LIUPOLDUS ab eadem Matre AGNETE nati ſunt : ſed *Chunradus* ex primo ejus Viro *Friderico de Hohenſtoufe* ortus eſt. Poſt cujus mortem AGNES piiſſima Fœmina nupſit LIUPOLDO *Pio* Marchioni. Zwetla prima Filia de Clauſtro Sattelbach fundatur ab Hadmaro de Cuepharn, cujus poſteri nunc Chunring dicuntur.

MCXLI. LUIPOLDUS novus Dux, & Marchio, poſt multa bella moritur ex ſubito morbo in Bawaria apud

apud Altaham in Clauſtro. Succedit HAINRICUS Frater, Avus noſtri Fundatoris. CHUNRADUS ejus Frater ex Monacho fit Abbas in Sattelbach poſt Dominum *Gotſchalchum.*

MCXLII. Fundari incipiunt Mons Pomerius in Auſtria, ſecunda Filia Clauſtri in Sattelbach, & tertia Filia Beata MARIA de Zikador in Ungaria.

MCXLVII. *Chunradus* Rex, & HAINRICUS Dux Bawariæ, atque Marchio Auſtriæ, OTTO quoque Epiſcopus Friſingenſis, cum innumerabili multitudine armatorum, ad Prædicationem Crucis, his annis factam à noſtro *Bernhardo* Abbate Claravallenſi, quem omnes ut Sanctum habebant, proficiſcuntur in Terram ſanctam, diſponente *Eugenio* III. Papa de Ordine noſtro.

MCXLIX. *Chunradus* Rex cum HAINRICO, & OTTONE, redeunt ex

Pale-

Paleſtina, nullo fructu tantæ expeditionis obtento, ſed nimis multis in ea pereuntibus, occulto DEI judiciô.

MCLIII. Mellifluus *Bernhardus*, noſter Propagator & Parens, in cælum abivit.

MCLIV. *Fridericus* Ænobarbus, qui *Chunrado* Regi mortuo antea ſucceſſit, tollere cupiens acerba bella pro Bawaria inter HAINRICUM Marchionem Auſtriæ, & *Hainricum* Leonem, *Hainrici* ſuperbi filium, ſententiâ Regiâ huic Bawariam reſtituit. HAINRICUS Marchio id cum magna laude, ſuadente OTTONE Friſingenſi Fratre, patienter tulit, licèt aliis Principibus parùm placeret. (*)

MCLVI.

(*) Fortiter pugnat hic locus contra eos, qui tradunt, HENRICUM Auſtriacum pro revindicanda Bavaria, poſt latam ſententiam, contra Imperatorem Arma inſtruxiſſe, quaſi qui de Stirpe Ducum Bavariæ deſcendens, Patriam Hæreditatem recuperare, aut omnimodis tueri voluiſſet. Quænam hoc

MCLVI. Fridericus Rex, complacens ſibi in modeſtia, & obedientiâ HAINRICI Marchionis Auſtriæ, eum creavit Primum Ducem Auſtralem, & de Bawaria ſupra Anaſum fluvium notabilem partem detrahens, eam cum Auſtria univit.

MCLVII. AGNES piiſſima Mater HAINRICI novi Ducis, LIUPOLDI *Pij* Marchionis Relicta, pio fine quievit. Dux verò ædificium clauſtri in Sattelbach perfecit.

MCLVIII. Obiit OTTO Epiſcopus Friſingenſis, Frater Ducis, & CHUNRADI: qui in fine Anni MCXLVIII. ex Abbate clauſtri in Sattelbach factus eſt Epiſcopus Patavienſis.

MCLXIV. CHUNRADUS prædictus ex Patavia tranſiit ad Metropolitanam ſedem Saltzeburgenſem. Sed poſt multam tribulationem propter Obe-

hoc pacto ipſius magna laus, modeſtia, & Obedientia fuiſſet? quis locus OTTONIS Fratris Suaſioni?

Obedientiam Papæ, moritur anno MCLXVIII. IV. Kal. Octobr. apud Atmunt, ubi feliciter pauſat.

MCLXXIV. *Alexander* Papa tertius Melliſluum Patrem noſtrum *Bernhardum* XV. Kal. Februarij Sanctum pronunciavit.

MCLXXV. Fridericus Imperator ADALBERTUM ArchiepiſcopumSaltzeburgenſem in Comitiis exauthorare voluit. Cui cùm HAINRICUS Dux Auſtriæ conſentire nollet, iratus Imperator *Zobeslaum* Bohemum in Auſtriam irruere juſſit: qui maxima mala provinciæ intulit. Hic ADALBERTUS fuit filius *Wladislai* Bohemiæ Regis ex GERTRUD Sorore HAINRICI Ducis Auſtriæ, pius Præſul.

MCLXXVII. HAINRICUS Dux Auſtriæ obiit, equo lapſus, & in Fundatione ſua Monaſterij Scotorum Wiennæ requieſcit. Cognomen habuit *Jaſomergott*, quod verbum

ſæpè

ſæpè in ore habuit. Succeſſit ei Filius Senior LIUPOLDUS ſextus: Junior HAINRICUS ſedit in Medeling.

MCLXXXII. LIUPOLDUS Dux peregrinatus eſt in Terram Sanctam. E qua rediens poſt Annum, attulit ſecum inſignem Particulam Salvificæ Crucis Domini. Hanc poſtea donavit Clauſtro in Sattelbach: quod abinde Vallis Nemoroſa ad Sanctam Crucem appellari cœpit.

MCXC. Idem Dux Cruce ſignatus ivit in Paleſtinam: quò anno priori *Fridericus* Imperator præceſſit, ſed hoc anno ibidem infelici caſu ſubmerſus eſt. Illuc profecti ſunt etiam *Philippus* Francorum, & *Richardus* Anglorum Rex.

MCXCI. Accon, ſeu Ptolemais, ſummo cum labore ibidem occupata eſt: in quo labore LIUPOLDUS Dux inſigni virtute enituit. Sed poſtquam occupata Urbe Vexilla

Chriſtiana ponebantur in turribus, Vexillum LIUPOLDI à Rege Angliæ contemtum, & dejectum fuit, cum magna Ducis injuria, & offenſione Germanorum. Quia autem Dux in oppugnatione tam ſtrenuè bellavit, ut toto corpore plenus eſſet hoſtium ſanguine, excepta illa veſtis ſuæ parte, quæ latuit ſub militari balteo: poſtea *Hainricus* Sextus Imperator Clypeum Auſtriæ, in quo hactenus erant Quinque Alaudæ, mutavit, & diſtinxit campo rubro cum media ſemita alba. (*)

MCXCII. Paulo poſt reditum LIUPOLDI obiit *Otocharus* Dux primus in Stiria. Quare LIUPOLDUS ex Pactis, à tota provincia pro-

(*) Robur ex hoc Teſtimonio ORTILONIS, qui ſcripſit Seculo XII. accipit Traditio communis, antiquum Auſtriæ Inſigne fuiſſe *Alaudas*, & Arma moderna à Virtute ac Fortitudine LEOPOLDI VI. originem habuiſſe, iiſque refelluntur, qui hoc uti merum Commentum recentiorum temporum explodunt.

probatis, Auſtriæ ſimul & Stiriæ Dux eſt ſalutatus. Devênit quoque in manus ejus *Richardus* Rex Angliæ, qui eum in Oriente ſpreverat, ab ipſo captus, & Imperatori petenti extraditus. Qui ob injuriam, Duci, & Imperio illatam, & alia malefacta ſibi imputata, diu detentus, tandem maximâ ſummâ pecuniæ veniam, libertatem, & gratiam Imperatoris emere debuit.

MCXCIV. *Cæleſtinus* Papa tertius, ob graviſſimam inſtantiam *Richardi* Regis jam liberi, qui cum Anglis ſuis LIUPOLDO Duci ſummè iratus fuit, Duci anathema intentavit, niſi pecuniam, à Rege jam acceptam, reſtitueret, & obſides pro accipienda dimitteret. Difficili præcepto ex reverentia tamen obedire promiſit LIUPOLDUS: ſed ſpatium vivendi non longum ei ſuperfuit. Nam alteram pro-

fectionem in Terram Sanctam præparans, & ideo apud Grætz in Stiria, poſt Miſſas Natalis Domini, altera die ſe, & Milites ſuos Ludo equeſtri exercens, labante equo pedem fregit, & quaſſavit. Nulla medela profuit pedi: & poſtquam hunc abſcindendum impavidè præbuiſſet, neque profuit reliquo corpori incenſo. Chriſtiano itaque more ſe coram *Adalberto* Archi-Epiſcopo Saltzeburgenſi, tunc in vicinia exiſtente, expiavit, & ſi quam incurriſſet Summi Pontificis cenſuram propter obſides Anglos, ob brevius tempus cum pecunia nondum dimiſſos, abſolvi humiliter petiit. Noſtri deinde Ordinis cucullam induens, qui nobiſcum aliunde Fraternitatem habuit, reliquos acerbiſſimos dolores, piè & patienter obeundô, concluſit paulò ante medium noctis IV. Kal. Januarij cum maximo Provinciarum luctu,

luctu, deponi ſe mandans in Sancta Cruce.

MCXCV. Quia propter pavorem & dolorem Filiorum, & Miniſterialium, obſides Angli tam citò cum pecunia expediri non poterant: *Adalbertus* Archiepiſcopus aliquot diebus Sepulturam prohibuit ob metum & reverentiam Papæ, ac Regis, donec voluntati utriúsque integrè eſſet ſatis factum. Corpus verò aduſtum, & ideo multis partibus per ſe putridum, tantò faciliùs ac citiùs generavit vermes. Poſt obſidum verò diſceſſum transvectum eſt ad Sanctam Crucem, & ibi tandem Idibus Januarij, me ſpectante, & ad funus pſallente, in Capitulo humatum eſt, maximo hominum concurſu: qui omnes valde bonum Principem, ac clementem fleverunt. Fuerunt autem ante, & poſtea, luctuóſa tempora, nunc ob ariditatem ter-

ræ, nunc è contrario ob exundationem fluminum, incendia fulminum, aut terræ motum, & alia inſolita mala in Auſtria, & aliis provinciis, ferè in tertium Annum. Irati verò Angli hæc mala in Auſtria, & ſubitam Ducis mortem, ac pœnale mortis genus, Funeris quoque dilati moram, & natos vermes, omnia veluti manifeſtas pœnas DEI ob captivitatem ſui Regis, ore & calamo divulgabant, cum multa Ducis diffamatione: quod ego, qui in Sancta Cruce tunc Libros tranſcribebam, jam ipſe legi. Qui hos ſequentur, errores ſeminabunt. (*)

Reliquit LIUPOLDUS Sextus, dictus *Vir-*

(*) Quantâ injuriâ pervicacis contumaciæ erga Pontificem, terribilibus pœnis à DEO caſtigatæ, hunc Ducem quaſi communis Recentium Scriptorum conſenſus, citra fas tamen & æquum affecerit, peculiari Diſquiſitione in *Propyleo* Faſtorum noſtrorum Elogio IX.no demonſtrare conabor, idque tantò efficaciùs, tàm præclaro ORTILONIS coævi teſtimonio ſuffultus.

Virtuoſus, duos Filios, FRIDERICUM, & LIUPOLDUM Septimum, præter Filiam AGNETEM, ex Conjuge ſua HELENA, *Geizæ*, Secundi Regis Ungariæ Filia: cum qua nuptias celebraverat Anno MCLXXIII.

FRIDERICUS primogenitus, natus anno ſequenti VII. Kal. Januarij tunc annorum viginti, ſucceſſit Patri in Auſtria. LIUPOLDUS natus Idib. Octob. Anno MCLXXVI. biennio minor, præfuit Stiriæ, uterque multæ exſpectationis. Ambos autem communia multis provinciis mala hoc & ſequenti Anno exercuerunt.

MCXCVI. FRIDERICUS Dux Auſtriæ Cruce pro Oriente ſignatur. Expeditio iſta in tanta cariſtia temporis magis, quàm aliàs, difficilis, opes multò majores poſtulabat. Unde Dux Fratri LIUPOLDO, qui ei ſæpè conſuluit, ut in Au-

ſtria ſua novum Ordinis noſtri Monaſterium excitare vellet, excuſavit, ſe illud hactenus exequi non poſſe.

MCXCVII. Idem Dux iter in Paleſtinam per Apuliam cum maxima hominum multitudine aggreſſus, Vicariam Fratri Auſtriæ ſuæ Gubernationem commiſit.

MCXCVIII. Idem Dux in Terra Sancta remanens, cæteris ob mortem *Hainrici* Sexti Imperatoris redeuntibus, pro amore Crucifixi ibidem etiam animam poſuit XVII. Kal. Maij, poſtulans, ut in Auſtriam reducto corpore, in Sancta Cruce ad Patrem LIUPOLDUM apponeretur. Cui Cænobio ſibi chariſſimo villam Wezelendorf in teſtamento legavit. Fratri Auſtriam reliquit, ſine Conjuge, & Liberis defunctus. Pietas ejus, ac Zelus pro Religione ſibi cognomen *Catholici* peperit. Fratrem Frater

ad

ad tumulum conduxit hoc Anno V. Idus Octobris, me iterum adſtante.

Concluſio harum Notularum ORTILONIS.

Jam DEO propitio laudatis claris Progenitoribus Pij Parentis, ac Fundatoris noſtri, & enarrata etiam Fnndatione Matris noſtræ Sanctæ Crucis, ſequitur *de Exordio hujus Domus.*

ITa *Notulas ſuas* de Sereniſſima BABENBERGICA STIRPE concluſit, & ad Fundationis noſtræ Deſcriptionem transgreſſus eſt ORTILO noſter. Verumtamen hanc jam modò ante tempus evulgare conſultum non habens, Benevoli Lectoris patientiam flagito eous-

eousque, donec Primus ſaltem *Faſtorum* noſtrorum *Campilienſium* Tomus, fatis ita ſinentibus, in lucem compareat.

I. O. G. D.

J. J.
HECKENHAUER
TÜBINGEN

DB53
.H25
1742

4103021

11262